Ad Solonis aetatem

Paul Stettiner

AD SOLONIS AETATEM

QUAESTIONES CRITICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. MENSIS APRILIS MDCCCLXXXV

HORÀ XII

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

PAUL STETTINER

REGIMONTANUS.

ADVERSARII ERUNT:

RICHARD MASCHKE, DR. PHIL.
ADALBERT ROQUETTE, DR. PHIL.

REGIMONTI PR.

TYPIS EXPRESSIT R. LEUPOLD.

MDCCCLXXXV.

Matri Sacrum.

Pars prima.

De Diodori Siculi libro nono.

Diodori Siculi liber nonus apte in duas partes dividitur, quarum altera (§ 1—14 vel 15) ad septem sapientum fabulas solas spectat, in altera (de § 23 usque ad extr. libr.) res iusto temporum ordine servato narrantur. Has autem duas libri partes quamvis diversas de Ephoro solo depromptas esse R. Klueber[1]) coniecit, quam opinionem aliis viris doctis probavit. Hanc illius ratiocinationem facere non possum, quin prorsus negem. Nam et quae recte perspexerat, non satis certis argumentis stabilivit et permulta neglexit, quae ad auctorem Diodori indagandum pertinent. — De singulis eius commentis priusquam disputem, summam castigabo eius ratiocinationum. Ac quasi πρῶτον ψεῦδος Ephorum a quinto libro solum a Diodoro depromptum esse v. d. quamquam dixit[2]), minime demonstravit. Neque si fecisset, quidquam ad rem valuisset argumentum. Diodorus enim in decimo libro de rebus Pythagoreis Ephorum si non neglexit, at certe non solum semper accivit. Hoc satis lucide, opinor, e Callimacho, quem Diodorus[3]) attulit, apparet. Argumentum vero e silentio, quod viri docti ne in aliis quidem quaestionibus multum valere arbitrantur, prorsus

1) Ueber die Quellen d. Diodor i. IX. B. Würzburg 1868.

2) l. l. p. 4.

3) Diodori biblioth. histor. ex rec. et c. annot. Lud. Dindorfii Lipsiae 1867, X 6, 4.

ineptum videatur, ubi de fragmentis agitur.[1]) Fragmenta denique, quae in excerptis seu Vaticanis sive quae inscribuntur περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, seu alibi extant discissa, quamquam ad eandem spectant rem, epitomatorum culpa disiuncta esse putavit. Ei autem, etsi saepissime contrahendo et negligenter commutando orationem corruperunt, tamen seriem fragmentorum fere nunquam perturbaverunt. Haec enim et Ernestius Schulze[2]) et Henricus Nissen[3]), qui in Polybii inquisiverunt libros, confirmaverunt. Neque ita grave est argumentum, quod Ang. Maius[4]) duos vel tres locos in excerptis duplicatos redimi annotavit. Nam et in tot fragmentis perpauca sunt, quae hanc suspitionem movere possint, neque Diodori ratio permittit, ut in eclogarios, multarum difficultatum sane auctores, culpam reiciamus. Diodorus enim neque rerum, quas depinxit, fuit peritissimus, neque acri in rebus diiudicandis iudicio. Itaque serviliter, quod in homine Graeco mirere, vestigia pressit auctorum, quippe quos ne semper quidem aptos elegisset. Etenim eos verbo de verbo chronographorum medii aevi instar exscripsit. Huius rei perspicua exempla et Volquardsenus[5]) et H. Nissenus[6]) in medium protulerunt. Unde factum est, ut alia flueret in posterioribus libris, alia in prioribus oratio. Neque aliter explicandum est, quod eandem[7]) rem eisdem fere verbis identidem ab illo prolatam videmus.

1) Quod tamen ille ad rerum conclusiones identidem proferre non veritus est l. l. p. 7, p. 11.

2) De excerptis Constantinianis quaest. criticae Bonnae 1866 p. 9.

3) Krit. Unters. über die Quellen d. 4. u. 5. Dekade des Liv. p. 7.

4) Fragm. Diod. Vatican. libr. VII—X .... c. ann. A. Mai ex rec. Lud. Dindorfii 1828 p. 24 ann.

5) Unters. über die Quellen der griech. u. sicil. Gesch. bei Diodor XI—XVI. Kiel 1868 p. 50, 51.

6) l. l. p. 111.

7) cf. Volquardsenum l. l. Diodor. XI, 75 et 78; XVI, 31, 6; 34, 4 et 5; 39.

Quae quidem altero loco Aesopum[1]), altero Platonis amicos dicentes fecit, idem substituit Pittaco[2]), idem Demetrio regi. Quid igitur mirum, in nono quoque libro eandem rem bis narrari?

Caput I.

Fragmenta quidem 2 et 26. 27, cum omnia in Croesi conventu cum Solone aut cum septem sapientibus versentur, epitomatorum culpa illa quidem disiuncta, sed a Diodoro, velut unam fabulam, tractata esse Kluebero visum est. Sed hanc viri d. opinionem, etsi excerptorum ratio probaret, perversam putarem. Primum quidem illa fragmenta ne uno quidem verbo secum congruere, neminem fugiet. Epitomatores autem verba ipsa optime servasse, praecipue eis ex locis apparet, ubi easdem sententias in diversis titulis[3]) exaratas videmus. Res porro ipsae valde inter se discrepant. Nam in altero fragmento (2) omnis fabulae summa in Solone versari videtur, in altero (26) ille tertii actoris agit partes. Neque enim magis auctoritate valet, quam Bias, Pittacus, Anacharsis. Immo homo hic barbarus dicendi apud Croesum initium fecit. Quid! quod de Croesi exitu prorsus aliud refert fragmentum 2, 4 ac fragm. 34. Nam in illo Cyrus ipse rogum extinxit, in hoc imber de coelo delapsus Croesi vitam servavit (*διὰ τὸ καταῤῥαγῆναι ὄμβρον καὶ σβέσαι τὴν φλόγα*). Ac hoc quoque loco (34) Diodorus ut in fragm. 26 Solonis nomen quasi *ἐν παρέργῳ* attigisse videtur. Hoc igitur certissimum iudico a Diodoro duas easque inter se discrepantes fabulas prolatas esse. Harum ille alteram Solonis vitam depingens narravit, alteram vitae Croesi

---

1) cf. IX, 28; XV, 7, 1.

2) cf. IX, 12, 3; XXI, 9.

3) Huius consensus exempla, cum apud Diodorum permulta extent, nolo in re aperta longus esse. Cf. autem fragm. 2: *ἠρώτησεν, εἴ τις ἕτερος αὐτοῦ δοκεῖ μακαριώτερος εἶναι;* 26 *τίνα τῶν ὄντων εὐδαιμονέστατον ἑώρακεν;*

annexit. Nunc videamus, quemnam ille secutus auctorem conventum sapientum apud Croesum habitum exposuerit.

Ac convivia[1]) vel conventus septem Sapientum decantata esse, e Laërtio Diogene (I, 40) aliisque apparet. Nos quoque exemplum invenustum illud quidem et inficetum Plutarchi Convivium septem Sapientum servatum habemus. Nimirum in his conviviis scriptores satis recentioris aetatis de optima rei publicae forma, de religionibus ac cultu deorum, de facetiis ac scitis, de tacendis dicendis denique disputantes fecere homines illos verecundissimos. Etenim septem Sapientum res, quo crassioribus obrutae erant tenebris, eo magis philosophi rhetoresque certatim fabulosa de eis fingere coeperunt. Atque id, quod Theophrastus[2]) eos ingeniose disputantes fecerat, minus argute illud quidem sed eundem in modum alii, hunc potissimum secuti, narraverunt. Plutarchum[3]) quidem illo usum esse, id, quod *περὶ τροφῆς* disputavit, significare videtur. Item ab Ephoro historiis suis conventum insertum esse septem Sapientum Laërtius Diogenes tradidit (I, 40: *Ἔφορος δὲ παρὰ Κροίσῳ πλὴν Θαλοῦ*, scilicet *ὁμιλίαν αὐτῶν γέγραφεν*). Etenim is hoc loco, quaecunque de illorum scitis divulgata erant, compluribus locis contaminatis, attigisse aut explicavisse videtur.

De Ephoro Diodorum hunc locum deprompsisse, Klueberus[4]) non satis probavit. Deprehendimus autem compluria

---

1) C. Lehrs de Aristarchi studiis Homericis ed. alt. p. 212 ann. rectissime annotavit de conviviis epulisque, quibus usi sunt diversarum scholarum sectatores, fluxisse fabulam de septem Sapientum non conventibus tantum, sed etiam conviviis.

2) Athenaeus XI, p. 463; Laërtius Diogenes V, 48.

3) Plut. de Convivio sept. Sap. c. 14 sq. cf. Wyttenbach annot. ad l. l.

4) Ab Ephoro solo hunc conventum septem Sapientum apud Croesum habitum narratum esse non iure Klueberus (l. l. p. 7) opinatus est. Nam veri absimillimum est, epistulam ad septem Sapientes a Periandro scriptam (Laërt. Diogenes I, 99) ex Ephoro fluxisse.

huius apud illum vestigia. Etenim Anarcharsis, Bias, Solon, Pittacus Diodoro auctore intersunt conventui. Quis diiudicare audeat, Diodorusne ceteros sapientes omiserit an eclogarius? Hoc tenendum est, Diodorum ipsum Thalem consulto idque Ephoro auctore omisisse. Nam hic Thalem[1]) a conventu Sapientum apud Croesum habito seclusit (cfr. Laërt. Diogen. I, 40 *πλὴν Θαλοῦ*). Atque ut in hac re Diodorus Ephorum secutus esse videatur, ita Anacharsidis orationes hunc respiciunt. Ille enim ab Ephoro[2]) septem Sapientum in numero habitus, ab eodem summis laudibus elatus est. Totum igitur fragmentum ex Ephoro ductum esse verisimillimum est.

Atque tota de Croesi vita narratio ut conectitur cum hac fabula, ita eundem habuisse videtur fontem. Neque cum hac opinione repugnat insequens de Aesopo commentum (28). Quamquam certissima illa documenta, quae multo ante Alexandri Magni aetatem de Aesopi cum septem Sapientibus vel Croeso consuetudine sese detexisse G. Welckerus[3]) olim putavit, ad irritum ceciderunt. Atqui hoc concedendum est, nihil e scriptorum silentio colligi posse.

Sed priusquam progrediamur, paululum subsistamus in extremo fragmento (28): *Αὐτὸς δὲ πεπλασμένως ἔλεγε τὴν μὲν νίκην ἀρετῇ καὶ οὐ πολυπληθίᾳ ἀνδρῶν γίγνεσθαι.* Narraverat autem Aesopi facete dictum: *ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα συμβιοῦν τοῖς τοιούτοις* (scilicet *δυνάσταις*). Duo huius scita nullo pacto inter sese cohaerere apertum est. Ob id H. van

---

1) Thalem cur Ephorus in conventum non recepisset, cum alios, tum Aemilium Bohrenum (de septem Sapientibus diss. Bonn. 1867 p. 57) fugisse miror. De Thalete rettulit Laërt. Diogen. I, 25: *Κροίσου γὰρ πέμψαντος πρὸς Μιλησίους ἐπὶ συμμαχίᾳ, ἐκώλυσεν.* Apparet enim hunc locum Ephori fragmentis adiudicandum esse.

2) Cf. Laërt. Diog. I, 41: *Ἔφορος δὲ ἀντὶ Μύσωνος Ἀνάχαρσιν* (scil. *ἐγκρίνει*).

3) Kl. Schriften zur gr. Litteraturgesch. II p. 228.

Herwerden[1]) sententiam in extremo fragmento (28) ad fragmentum 30 pertinere coniecit. In hoc enim Phalaris cum magnum columbarum agmen unum accipitrem fugiens vidisset, exclamasse narratur: *Ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες, τοσοῦτο πλῆθος, ὑφ' ἑνὸς διωκόμενον. Ἐπεί τοι γε τολμήσειαν ὑποστρέψαι, ῥᾳδίως τοῦ διώκοντος περιγένοιντο.* Hoc loco vir doctus inseruit: *αὐτὸς δὲ πεπλασμένως κ. τ. λ.* Haec verba fortasse propter similem ultimi vocabuli formam post *περιγένοιντο* excidisse, a librario errorem corrigente in margine adscripta, mox in apographo alieno loco esse recepta. Hanc ille opinionem L. Dindorfio probavit (cf. ad locum vol. II p. 157). Hoc quamquam fieri potuit et saepius tales errores in codices hoc modo irrepsisse haud ignoramus, tamen his verbis transpositis difficultas non tollitur. Diodorus enim non

---

1) Spicilegium Vaticanum continens nov. lect. in Hist. Gr. excerpta .... scripsit H. van Herwerden: Lugduni Batavorum 1860 p. 27. Hoc in libro vir doctus permulta vitia in his eclogis emendare studuit, alia emendanda proposuit; sed saepius eclogariorum quam librariorum errores notavit. Hos autem retineamus necesse est, cum ex his ipsis saepius genuinam Diodori rationem perspiciamus. Velut Herwerden in fragmento 25 — fabula autem inest de Croesi expeditione contra insulanos parata — ex verbis in medio fragmento positis „*ὁ δὲ Πίττακος ἢ ὁ Βίας ὑπολαβὼν*“ foedum additamentum *Πίττακος ἢ* exulare iubet. Quae verba quamquam in codice et A. Maio et Herwerdeno testibus leguntur, a L. Dindorfio, qui rationem Herwerdeni aliis locis recte notavit (II p. XV), amota sunt. Nam de Biante, non de Pittaco sermonem esse e praecedentibus satis liquere. Confer autem Herodoti de eadem fabula narrationem (I, 57, 3 ed. Stein): *οἱ μὲν Βίαντα λέγουσι τὸν Πριηνέα ἀπικόμενον ἐς Σάρδις, οἱ δὲ Πίττακον τὸν Μυτιληναῖον, εἰρόμενον εἴ τι εἴη νεώτερον κ. τ. λ.* Hoc e loco perspicitur a Diodoro ipso utrumque allatum esse. An probabile fit, ab eclogariis ad locum Herodoti respicientibus haec verba (*ἢ Πίττακος*) addita esse? Qui quam stupidi fuerint, apparet in extremo fragmento (25), in quo ne Herwerdenus quidem vitium notavit. Sic enim extat ibi Croesi opinio: *τῶν γὰρ Λυδῶν ἱππεύειν εἰδότων, ἐνόμιζε κρατεῖν αὐτοὺς πεζῇ.* Quid? pedestrine exercitu insulani Croeso praestiterunt? Immo! pugnae navalis insulanos peritissimos esse Bias contendit. *Πεζῇ* igitur aut ab excerptore perperam pro *ναυτικῇ* scriptum est, aut tota conclusio additamentum est eclogarii. Is nimirum putabat, cum equitibus comparari pedites.

minus quam alii rerum scriptores Phalarim quasi exemplum depinxerunt tyranni crudelissimi atque immanissimi. Quacum crudelitate quo modo congruit virtutis illa laus? Potestne ferri, a tyranno tam aperte subiectorum seditionem concitari?[1]) Nonne haerebimus, quod Aesopi nomen fabula subsequitur, quam vocant Aesopiam? Constat enim posteriore aetate ingentem in Aesopum numerum commentorum congestum esse.[2]) Item Diodorus hoc loco totam huis viri indolem videtur exposuisse. Sed tamen cum Diodoro hoc eodem loco Phalaridis dominatio enarranda erat, tum hanc fabulam ad illius exitum spectare satis perspicua produnt vestigia. (cf. epitomatoris annotationem: *ὡς γέγραπται ἐν τῷ περὶ διαδοχῆς βασιλέων.*) Satis autem eleganter Diodorus hanc fabulam annectere potuit ad Aesopi vitam, ut appareret, quantum eius fabulae valerent, quae vel ad tyrannum expellendum cives excitassent. Atque Stesichorus similem de illo tyranno protulit fabulam, priusquam ille Himeraeos subiecisset. Quapropter nescio, an scitum, ut vulgatur, Aesopo tribuendum sit articulo praeposito [ὁ] *αὐτὸς δὲ*. In proximo fragmento[3]) (30) — subsequitur autem hoc in palimpsesto quod vocamus Vaticano fragmentum 28 — Diodorus Aesopum vel potius eum, qui fabulam Aesopiam

1) Miror quod hic apologus neque Adolfum Holm (Gesch. Siciliens im Altert. Leipzig 1870 I p. 151) neque Prellerum (in Allg. Encyclopaedie ed. Ersch et Gruber v. 21 (1. Serie) p. 432 offenderit.

2) Guil. Henr. Grauert: De Aesopo et fabulis Aesopiis diss. Bonnae 1825 p. 63.

3) Nihil enim offensionis habet, eodem fragmento (28) diversas Aesopo substitui fabulas. Confer enim, quam multum eclogarius in unum de Chilone (9) excerptum conglutinaverit. At disiunxit, quae artissime inter se cohaerent (28 et 30). Saepissime autem epitomatores in extremo fragmento novam addunt rem, quae in sequenti demum porro tractatur. Hoc apertum est e fragm. 3, 2 et 3, in quibus oraculum disiunctum exhibetur a narratione. (cf. fr. 11, 2 et 12.)

protulit, dicentem finxit.[1]) Hac ille fabula narrata Phalarim de regno depulsum esse rettulit (*καὶ Φάλαρις ἐκ τούτου λόγου ἀπέβαλε τὴν δυναστείαν.* Sed redeamus ad propositum. Ac in fragmento 29 Adrasti depingitur miserrima sors. Hic animadvertas Croesi contra Adrastum minas (*ἀπειλεῖ ζῶντα κατακαύσειν*). Has autem Herodotus (I, 44 *μᾶλλόν τι ἐδεινολογεῖτο*) aut nescivit, aut quod mihi persuasum est, consulto praetermisit, quod cum moribus regis a se depictis male congruerent. Tamen quod idem de Croesi in Pantaleontem crudelitate tradidit, regem a talibus facinoribus haudquaquam abhorruisse demonstrat. (I, 92, 15). Atque Ephorum saepius ab Herodoto discessisse haud ignoramus. Huc pertinent fragmenta 31, 1 et 32. Caret autem notissimum illud de flumine oraculum apud Herodotum (I, 53, 5) hexametri forma, quam Diodorus 31, 1 exhibet. Etenim duo oracula secundum Herodotum (l. l.) Croesus uno tempore ab Apolline petivit. Horum altero deum respondisse, ut rex Graecorum, quos potentissimos cognovisset, socios sibi adiungeret. Hoc ille secutus oraculum cum Lacedaemoniis societatem iniit. (Her. I, 69.)[2]) Has autem res prorsus aliter ab Ephoro enarratas esse, e fragmento 32 perspicitur, quod de hoc[3]) depromptum esse Klueberus

---

1) Quaerenti mihi exempla huius res conectendi generis ea non occurrebant apud Diodorum. Unum quod H. Diels, qua est benignitate, mecum communicavit, quamquam non plane ad hoc spectat, commemorabo. In libro XII, 11, 4 sq. Diodorus inepte Charondae legibus Thuriorum rempublicam constitutam esse narravit. Hac re exposita Zaleuci leges (*διά τε τὴν ὁμοίαν προαίρεσιν τοῦ βίου καὶ τὸ γεγονέναι τοὺς ἄνδρας ἐν πόλεσιν ἀστυγείτοσιν.* 12, 19, 3) explicandas annexit. Fieri autem potuit, ut Diodorus poetam Aesopi similem in Sicilia Phalaridis temporibus floruisse et ab hoc fabulam prolatam esse narraret.

2) Herodotus duas contaminavisse videtur narrationes; harum alteram a Delphorum interprete de regno perituro, alteram de sociis adiungendis a Lacedaemoniis accepit. Hanc ob causam oraculum apud eum versu heroico caret.

3) cf. Frgm. H. Gr. ed C. A. Th. Mueller v. I fragm. 106 p. 137.

(l. l. p. 38) recte annotavit.[1]) Hoc enim, ut ab Herodoto alienissimum, ita nihil de dei responso, quod ad *δυνατωτάτους τῶν Ἑλλήνων* spectat, exhibet. Immo in hoc narratur Eurybatum a Croeso in Graeciam missum esse, ut ex omnibus Graecorum civitatibus quam plurimos ascisceret. Iam vero in fragmento 31, 1 contra Herodoti auctoritatem oraculum illud de societate cum Graecis ineunda omittitur. Ab excerptoribus autem versum alterum aut plures omissos esse veridissimillimum est. Nihil igitur obstat, quominus hoc fragmentum (31, 1) ex eodem fonte, quo illud de Eurybato (39), fluxisse statuamus.

Iam fragmentum 34 ut discrepat ab eis, quae in fragmento 2 de Croesi exitu narrantur, ita cum fragmento 27 bene congruit. Nam in utroque non omnis fabulae summa in Solone solo versari videtur.

E sequentibus modo fragmentum 36, 5 expromam: *Κρεῖττον γὰρ εἶναι τελευτᾶν ἢ ζῶντας ἑαυτοὺς μετὰ τῶν συγγενῶν ἐφορᾶν ἄξια θανάτου πράττοντας.* Quod dictum quamquam nimis decantatum est, tamen cum Isocratis discipulo

---

1) In oraculo, quod apud Diodorum IX, 31, 2 exaratum videmus. *Ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται Καὶ τότε, Λυδὲ ποδαβρέ, κ. τ. λ.* H. v. Herwerden Porsonum, Kruegerum, Abichtium secutus *καὶ*, quam particulam Herodoti quoque meliores codices exhibent, in *δὴ* mutari iussit. In sermone epico quidem a Graecis saepissime particulam *(καὶ τότε, καὶ τότε δὴ)* in apodosi positam esse, e sexcentis Homeri versibus apparet. cf. Il. *Α* 487, *Ζ* 176; Od. *β* 389, *ι* 391, 297, *ξ* 112, *ν* 79, *σ* 134. Hoc autem et versus et apodosis exordium, cum apud hunc in formulam abiisset, ex hoc in oracula irrepsit. Illa enim et epicorum locutionem recepisse et certas habuisse formulas satis constat. (cf. A. Lobeck Aglaophamus p. 842.) Ac hoc vetustum dicendi genus *(παρατάσσειν)* apud poetas vel posterioris aetatis occurrit nobis (Theocrit Idyll. 24, 20, 21; 14, 26; 7, 10) ubi Fritsche (3. Aufl. Leipzig 1881) nonulla in hunc usum collegit. Confer oracula apud Pausaniam IX, 37, 5 B; X, 9, 11 B; X, 24, 3; Her. VI, 19, 7. Particula *καὶ* nescio an ex hoc usu cum *εἶτα* coniuncta post participia posita sit. Cfr. ad Aristoph. nub. v. 409 et equ. 392 c. Th. Koch. annot.

bene congruit. Confer Isocratem in Panegyr. § 95 *αἱρετώτερόν ἐστι καλῶς ἀποθανεῖν ἢ ζῆν αἰσχρῶς.*

Sed satis sit de hac libri parte (§ 23 usque ad extremum librum). Ex qua ut ne unum quidem fragmentum ab Ephoro extat alienum, ita nonulla (§ 26; 27; 31, 1; 32; 34; 36, 5) ex hoc hausta esse lucide apparet. Verisimillimum igitur videtur illo Diodorum hac in libri parte auctore usum esse. —

Caput II.

§ 1.

Perlustrantes nos priorem l. IX partem (§ 1 — 14) fugere non potest, hanc a reliqua libri parte prorsus alienam esse. Haec enim fragmenta, nulla temporum ratione habita, in hac re conspirant, unum de septem illis et ob res praeclare gestas et ob sententias bene excogitatas praedicari. Diodorus autem quantum e fragmentis colligi potest, disertissime de his fabulis, quas vocamus, Romanensibus videtur egisse. Contra veriabsimillimum fit, Ephorum item sedulosius his operam dedisse commentis. Hae enim fabulae illius temporibus nondum ita acceptae vel populares videntur fuisse. Nam omnes quos diligenter Bohrenus (cf. p. 1 sq.) contulit de hac re auctores, ad posteriorem spectant aetatem[1]). Res porro ipsa monet, ut magis de philosophis eorumque sectatoribus cogitemus, quam de historicis. Neque tamen Ephorus, ut iam supra diximus, illos Sapientes silentio praeteriit. Etenim sicut Plato Mysonem, sic ille (cf. Laërt. Diog. I, 41) Anacharsin septem illis in-

1) Septem Sapientum collegium Platonis demum temporibus constitutum esse, quod Bohreno (cf. l. l. p. 57) visum est, nullo modo constat. Nam ex Herodoti silentio prorsus nihil consequitur. Modo id e vetustioris aetatis memoria pertractavit, quod non antea a rerum scriptoribus enarratum erat. Cf. Her. VI, 55 *τὰ δὲ ἄλλοι οὐ κατελάβοντο τούτων μνήμην ποιήσομαι.*

seruit; quorum uterque Periandrum[1]) hoc sapientiae gradu iudicavit indignum. Et erat proprium Platonis aetatis confugere aut ad integritatem populorum, qui ab omni cultu civilique abhorrebant aut ad simplicitatem eorum, qui rura colebant.

Ac fragmentum quidem 2 et fragm. 26, 27 et 32,4 inter se valde discrepare supra demonstrabam. At huius discrepantiae idem Ephorus auctor esse potuit. Duas nimirum de eadem re protulit narrationes, velut Diodorus plures rettulit de tripode fabulas. Diversis autem libri locis exarata sunt fragmenta, quorum alterum, si non tollit alterum, at efficit supervacaneum. Ac nihil est, quod Ephoro tales substituamus ineptias. Consentaneum ergo est, fragmentum 2 a Diodoro de alio depromptum esse auctore, ac fr. 27,28.

Conventum quidem apud Croesum habitum, ut legimus in § 26; 27 manifesta prae se ferre Ephori vestigia cum alia documenta, tum Anacharsidis sapientia in his praedicata demonstrant (cf. supra p. 5). Hac autem in parte desideramus talia. Sed tamen R. Klueber fragmenta 5; 6; 7 Ephorum respicere opinatus et ab hoc et a Diodore Mysonis illius quidem, qui in his summis laudibus effertur, mentionem factam esse sed hunc ab utroque in septem Sapientum numero habitum non esse putavit. Quod ad Ephorum attinet, hoc e Diogenis testimonio supra allato lucide apparet[2]). E Diodori autem fragmentis modo hoc colligi po-

1) Sunt qui putent (Zeller, Philosophie der Griechen, p. 91) Periandrum apud Plutarchum quoque in convivio septem Sapientum his adnumerari. Apud hunc autem tyrannus modo convivii pater est, neque septem Sapientibus aggregatur. Huius enim locum Anacharsis obtinuisse videatur. Hoc ex eis potissimum locis perspicitur, quibus sapientes deinceps facete dicta proferunt. Cfr. c. 7 p. 151 E, c. 11 p. 154 E—F et c. 12 p. 155 A. B. sq.

2) Haec autem sunt huius verba (1, 41): *Πλάτων δ' ἐν Πρωταγόρᾳ Μύσωνα ἀντὶ Περιάνδρου· Ἔφορος δὲ ἀντὶ Μύσωνος Ἀνάχαρσιν.* Kluberus cum infirma esse perspexisset sua argumenta, Diogenem errore

test, Mysonem ab illo commemoratum esse. Nam hic praedicatur oraculo allato. Ad hunc vero celebrandum Anacharsidis Diordorus, ut Diogenes in vita Thaetis, (I, 30 cf. I, 107), mentionem fecit. In hoc denique laudando omnia haec fragmenta versantur. Ex his igitur locis, si quid apparet, perspicitur, in fragmentis nihil extare de Anacharsidis sapientia. Hanc autem Diodorus, si de Ephoro septem Sapientum fabulas depromsisset, non potuit silentio praeterire. Jam vero haec fragmenta (5, 2 et 7) ut discrepant ab Ephoro, ita serie[1]) fabularum bene cum Laërtio Diogene[2]) (Mysonis vita I, 106) congruunt.

Ac fabulas de Mysone narratas subsecutae sunt narrationes de Chilone (8; 9; 10). Fragmentum autem 9, ut Ephoro vindicaret, Klueberus (l. l. p. 7) permultum argutiarum consumpsit. In hoc sententiae, quae antiquitus columnae Delphicae inscriptae esse dicebantur, enarrantur

ductum pro *Περιάνδσου* scripsisse *Μύσωνος* contendit. Hoc si verum esset, cur Diogenes non scripsisset: *Πλάτων δ'ἐν Πρωταγόρᾳ Μύσωνα, Ἔφορος δ'Ἀνάχαρσιν ἀντὶ Περιάνδρου* sc. *ἐγκρίνει.* Ac sapientum index, quantum apparet, vixdum duobus illis locum habet. E Diodori opinione septem sapientes fuisse videntur: Thales, Solon, Pittacus, Bias, Chilon, Myson, Cleobulus. (cf. infra p. 18.)

1) Fragmentum sextum editores perperam inter 5, 2 et 7 interposuere. Cohaeret enim artissime cum 5, 1 quod fragmentum ad Periandrum spectare viro docti argute perspexere. Hoc autem tyranno remoto Diodorus de Mysone disseruisse videtur.

2) In fragmento septimo „Solon" e Mysone quaerit, cur aestate stivam aratro aptet. In hoc Klueber (l. l. p. 15) pro „Solon", „Anacharsis", de quo idem Laërtius Diogenes (I, § 107) narravit, scribendum esse putavit. Sed cum Diodori narrationes, quamvis mutilae, haud raro integro Diogeni anteponendae sint, tum apud hunc „*Σόλωνα*" facilius potuit omitti, quam apud illum interpolari, cum antea Diodorus eius mentionem non fecisset. Ac illud „*πολυπραγμονεῖν*", quod appositum est, in utrumque quadrare potest. Etenim nescio an inepte „hoc oraculo sollicitatum" hanc vocem transtulerint, qui Laërtium Diogenem latine verterunt. Neque hoc vocabulum, ut Menagius A. Gellio (XI, 16) affirmante recte annotavit, difficultate caret. Stephanus quidem Thes. l. gr. VI p. 1711 multis negotiis eisque alienis im-

et Chiloni addicuntur. Quod ut a compluribus auctoribus, ita ab Ephoro scribi potuit. Etenim hae voces, quamquam alii aliis sapientibus tribuerunt, tamen plerique scriptores substituere Chiloni ut homini Laconi. Itaque hoc argumento nihil efficitur. Sed quod in fragmento 10, 1, 2 de odio in perpetuum in Persas suscipiendo, quod Graeci Plataeis iuravisse dicuntur, narratum videmus, certissime Ephoro abiudicandum est. Neque enim Diodorus in undecimo libro (XI, 29, 3) huius rei, cum sacramentum illud si Volquardseni fidem faciunt argumenta, Ephoro auctore verbum de verbo exscriberet, mentionem fecit. Talis autem repugnantia, haud aliena illa quidem a Diodori ingenio, ab Ephoro plane abhorret. Jam vero in fragmento 10, 3 Chilonis scita speciose comparantur cum Croesi donis; neque

plicari latine vertit. Hoc sane colligitur e Platonis republica (433 a), quo loco opponitur *τὰ αὑτοῦ πράττειν* ib. 444 b *ἀλλοτριοπραγμοσύνης*. Gorgias 526 b et Apolog. Socr. 31 C quamquam hoc loco Socrates ironice de se ipso dixit. Confer Aristophan. Plutum 913 de sycophantis, 931 *τἀλλότρια πράττων*. Hoc bene ad Anacharsin, hominem rerum alienarum curiosiorem, se accommodat. Attamen illud *πολυπραγμονεῖν* plane aliud significare potuit. Her. III, 15, 4 *ἔνθα τοῦ λοιποῦ διαιτᾶτο, ἔχων οὐδὲν βίαιον εἰ δὲ καὶ ἠπιστήθη μὴ πολυπρηγμονέειν* (scilicet Psammenitus).... Hoc grammatici novis rebus studere interpretati sunt. Sed hoc non prorsus recte versum est. Psammenitus nisi fuisset ingenio mobili, quod quiescere nesciret, a rege Persarum Aegypto praefectus esset. cf. Diodor. XII, 19, 1 *πολυπραγμονῶν τὰ κατὰ τὴν στάσιν*. Atque idem significat apud Xenophontem Hellen. I, 6, 3 *οὐ φαμένου δὲ τοῦ Λυσάνδρου πολυπραγμονεῖν, ἄλλου ἄρχοντος κ. τ. λ.* (non novis rebus studere.) Hoc sensu Goethe v. 29 ed. Hempel p. 117 de „weltthätigen Männer“ dixit, quos „den Gelehrten“ opponit. Quodsi haec verbi vis est, nonne multo magis ad Athenienses, quorum *πολυπραγμοσύνη* in proverbium abiit, non in Solonem, qui totam Atheniensium rempublicam et commutaverat et stabilire studuerat, quadrat? Cfr. de hac opinione Thucyd. I, 70, 9: *ὥστε εἴ τις αὐτοὺς ξυνελὼν φαίη, πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν, ὀρθῶς ἂν εἴποι.* Potuit igitur haec fabula addici et Soloni et Anacharsidi. Concessa igitur opinione, quam de Solone protuli, non temere inseremus Solonem pro Anacharside in Diogenis locum. Eadem enim res nescio an ab aliis, uti fieri solet in his septem Sapientum fabulis, Soloni, ab aliis Anacharsidi sukstituta sit.

enim illa a Phocensibus neque a Gallis rapi posse. Phocensium quidem bella Ephorus quamquam in perpetuas historias non recepit, tamen in transcursu commemorare potuit; Galli vero post eius aetatem in Delphicorum sacra invaserunt. His de causis Klueberus hoc fragmentum (9, 3) a Diodoro additum esse statuit. Perpauci autem extant apud hunc loci, quibus ille res posteriore aetate gestas, ut quae exponeret, illustraret, exprompsit. Ac tota in his fragmentis ratiocinatio (cf. 9,2 de Platone) magis philosophorum, quam historicorum redolet usum ac scientiam. Hoc tenendum est, duo hoc loco fragmenta discrepare ab Ephoro.

Quae quidem de Pittaco extant fragmenta (12, 1; 2; 3), ea cum fabularum serie, tum verbis ipsis mirum quantum conspirant cum eis, quae Diogenes (1, 75, sq.) de Pittaco, legislatore illo Lesbiaco, rettulit. Fragmentum quidem 12 easdem, quas hic in Pittaci vita tradidit, respicere fabulas, nemo infitias ibit. Fabula autem, quam fragmenta exhibent, prima ab aliis rerum scriptoribus aliter[1]) enarrata est. Sosicratis apud Diogenem (1,75) narratio quamquam non plane congruit cum Diodori fabula, vel ob id afferenda est, quod uterque huic fabula illa de Pittaci scito, quo Croesi recusaverat dona, annectit.

Diodor. 12, 2: *Ὅτι σύμφωνα τούτοις ἔπραξε, καὶ πρὸς Κροῖσον διδόντα τῶν ἐκ τοῦ γαζοφυλακείου χρημάτων λαβεῖν ὁπόσα βούλοιτο. Καὶ γάρ τότε τὴν δωρεὰν οὐ προσδεξάμενόν φασιν εἰπεῖν· Καὶ νῦν ἔχειν ὧν ἤθελε διπλάσια. Θαυμάσαντος δὲ τοῦ Κροίσου τὴν φιλαργυρίαν καὶ*

Diog. I, 75: *Σωσικράτης δέ φησιν, ὅτι ὀλίγον ἀποτεμόμενος ἔφη τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πλεῖον εἶναι· ἀλλὰ καὶ Κροίσου διδόντος χρήματα οὐκ ἐδέξατο εἰπών, ἔχειν ὧν ἐβούλετο διπλάσια· ἄπαιδος γάρ τἀδελφοῦ τελευτήσαντος κεκληρονομηκέναι.*

1) Cfr. Aeg. Menagii observ. in Laert. Diog. I, 75 (p. 249 ed. Huebner) Plut. de Her. mal. c. 15.

περὶ τῆς ἀποκρίσεως ἐρωτήσαντος εἰπεῖν ὡς τελευτήσαντος ἄπαιδος ἀδελφοῦ κεκληρονομηκὼς οὐσίαν εἴη τὴν ἴσην, ἥπερ εἶχεν, ἣν οὐχ ἡδέως προσειληφέναι.

Diodori oratio, tametsi est fusior, quam Diogenis, tamen ad verbum cum illins narratione congruit. Tertium deinceps locum apud utrumque ἀποφθέγματος explicatio continet. De scito Pittaci duas Diogenes protulit fabulas, quarum alteram Diodorus quoque exhibet. Sed utrumque conferamus.

Diodor. 12, 3: Ὅτι καὶ τὸν ποιητὴν Ἀλκαῖον ἐχθρότατον αὐτοῦ γεγενημένον καὶ διὰ τῶν ποιημάτων πικρότατα λελοιδορηκότα, λαβὼν ὑποχείριον ἀφῆκεν, ἐπιφθεγξάμενος ὡς συγγνώμη τιμωρίας αἱρετωτέρα.

Diog. I, 76: Παμφίλη δέ φησιν ἐν δευτέρῳ τῶν ὑπο μνημάτων ὡς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Τυρραῖον καθήμενον ἐπὶ κουρείου ἐν Κύμῃ χαλκεύς τις πέλεκυν ἐμβαλὼν ἀνεῖλεν· τῶν δὲ Κυμαίων πεμψάντων τὸν φονέα τῷ Πιττακῷ, μαθόντα και ἀπολύσαντα εἰπεῖν· Συγγνώμη μετανοίας κρείσσων. Ἡράκλειτος δέ φησιν, Ἀλκαῖον ὑποχείριον λαβόντα και ἀπολύσαντα φάναι Συγγνώμη τιμωρίας κρείσσων.

Quod Diodorus „Συγγνώμη τιμωρίας αἱρετωτέρα", Diogenes „κρείσσων" scripsit, huius verborum discrepantiae Diogenes ipse, cum antea scitum συγγνώμη μετανοίας κρείσσων commemoravisset, auctor esse potuit[1]).

1) Inepte Herwerden ad Diod. l. 21, 9 annotavit: legendum esse αἱρετώτερον pro αἱρετωτέρα.

Atque ut in narratiunculis de Pittaco, ita in fabulis de Biante ab utroque narratis eundem auctorum consensum detegemus. Uterque enim exhibet fabulam de Messeniis virginibus ab illo liberatis primam, alteram de tripode illi adiudicato. Sed quo melius perspiciamus consensum, locos ipsos proponemus.

Diod. 13, 1: *Ὅτι φασὶν οἱ Πριηνεῖς ὡς Μεσσηνίας τὸ γένος ἐπισήμους παρθένους λυτρωσάμενος ὁ Βίας παρὰ λῃστῶν ὡς ἰδίας θυγατέρας ἐντίμως ἦγεν. μετὰ δέ τινας χρόνους παραγενομένων τῶν συγγενῶν κατὰ ζήτησιν ἀπέδωκεν αὐτὰς οὔτε τροφεῖα πραξάμενος οὔτε λύτρα, τοὐναντίον δὲ τῶν ἰδίων πολλὰ δωρησάμενος κ. τ. λ.* 2. *Ὅτι σαγηνεῖς Μεσσήνιοι κατὰ τὸν βόλον ἕτερον μὲν οὐδὲν ἀνείλκυσαν, χαλκοῦν δὲ τρίποδα μόνον ἐπιγραφὴν ἔχοντα· σοφωτάτῳ. ἀναχθέντος δὲ τοῦ κατασκευάσματος δοθῆναι τῷ Βίαντι.*

Diog. I, 82: *Φανόδικος δὲ κόρας αἰχμαλώτους λυτρωσάμενον Μεσσηνίας θρέψαι τε ὡς θυγατέρας καὶ προῖκας ἐπιδοῦναι καὶ εἰς τὴν Μεσσήνην ἀποστεῖλαι τοῖς πατράσιν αὐτῶν. Χρόνῳ δ' ἐν ταῖς Ἀθήναις ὡς προείρηται τοῦ τρίποδος εὑρεθέντος ὑπὸ τῶν ἁλιέων, τοῦ χαλκοῦ ἐπιγραφὴν ἔχοντος Τῷ σοφῷ Σάτυρος μέν φησι παρελθεῖν τὰς κόρας — οἱ δὲ τὸν πατέρα αὐτῶν ὡς καὶ Φανόδικος — εἰς τὴν ἐκκλησίαν καὶ εἰπεῖν τὸν Βίαντα σοφὸν, διηγησαμένας τὰ καθ' ἑαυτὰς καὶ ἀπεστάλη ὁ τρίπους. καὶ ὁ Βίας ἰδὼν ἔφη τὸν Ἀπόλλωνα σοφὸν εἶναι ουδὲ προσήκατο.*

Has autem fabulas[1]) idem referre consentaneum est.

---

2) Alfredus de Gutschmid statuit, hunc locum de consuetudine, quae Bianti cum Messeniis intercessit, a Diodoro de Myrone Prienensi depromptum esse. Et est verisimillimum a Myrone, auctore *Μεσσηνιακῶν*, primo has fabulas ad gloriam Biantis augendam narratas esse. A. de Gutschmid has res in peculiari Myronis libro *περὶ ἑπτὰ σοφῶν*, qui, quantum scio, a nullo allatus est, relatas esse. In tali autem libro cur Myron homines Messenios cum Biante coniuncturus fuerit,

Diogenis quidem narratio miro laborat errore. Etenim et Satyro et Phanodico auctoribus virgines vel pater earum, homo scilicet Messenius, Bianti tripoda tribuendum curaverunt. Diogenes autem et in Thatelis vita (I § 31) et in Biantis tripoda *ἐν Ἀθήναις* vel *περί τὴν τῶν Ἀθηναίων θάλατταν* inventum esse tradidit. Quid autem Messenii sibi volunt Athenis? Quid erat causae, cur Athenienses Solonem postponerent Bianti? Nonne de illo eis cogitandum erat, qui Athenienses tripoda invenientes finxerunt? Accedit, quod Diogenes, ut Diodorus, alteram fabulam annexit alteri. Pro certo igitur habeo, Diogenis narrationem per rivulos nescio quos ex eodem fonte, quo Diodori, fluxisse. Quamquam causa, cur Diogenes pro piscatoribus Messeniis Athenienses posuerit, parum apparet. Desideramus autem in Diodori excerptis fabulam de Biantis cum Alyatte consuetudine, quam Diogenes diserte exposuit. Quae quidem apud hunc de Biantis eloquentia, iustitia, morum integritate extant, eadem Diodorus respexisse videtur. Conferas velim Diog. I, 84:

Ὅτι Βίας ἦν δεινότατος καὶ τῷ λόγῳ πρωτεύων τῶν καθ' ἑαυτόν, κατεχρήσατο δὲ τῇ τοῦ λέγειν δυνάμει πολλοῖς ἀνάπαλιν· οὐ γὰρ εἰς μισθαρνίαν οὐδὲ εἰς προσόδους ἀλλ' εἰς τὴν τῶν ἀδικουμένων κατετίθετο βοήθειαν.	*Λέγεται δέ καὶ δίκας δεινότατος γεγονέναι εἰπεῖν· ἐπ' ἀγαθῷ δὲ τῇ τῶν λόγων ἰσχύι προσεχρῆτο.*

Fragmenta autem (14, 1. 2; 15) quae sequuntur, ad septem Sapientum fabulas pertinere scite editores perspex-

non video. Quamquam, quod Diodorus dicit „*παρὰ λῃστῶν*", virgines non bello Messeniaco captas esse demonstrare videtur. Sed potuit Myron in extremo libro sortes Messeniorum altero bello confecto narrare. Res utcumque se habet, Diodorum non Myronem ipsum sed fontem derivatum accivisse puto cfr. infra pr. 58.

erunt. (cf. Libror. argumenta frgm. XIII—XV vol. II ed. D. p. XLVIII.) Ac cum de corporis viribus et specie Diodorus hoc loco disseruisse videatur, haec ad Cleobulum spectare opinor. Hunc enim ῥώμῃ καὶ κάλλει ceteris praestitisse e Diogene apparet. (I, 89.) Diodorus igitur videtur exposuisse, Cleobulum non minus corporis quam ingenii praestantia floruisse. Altera enim sublata alteram ei nihil profuturam fuisse. Hoc autem e Milonis et Polydamantis exitu intellegi posse.

At Klueberi rationem non habuimus. Certe! sed consulto eius argumenta reliquimus, quod ipse nihil aliud demonstravit neque potuit demonstrare nisi haec fragmenta cum Ephoro nôn discrepare. Hoc nimirum fieri non potuit, quandoquidem de his rebus nihil ex eius historiis aetatem tulit. At nihil consequitur e Diodori et Diogenis concentu. Ἀποφθέγματα enim eadem sint necesse est. Diodorus autem non magis in eis quae enarravit, quam quae omisit vel alio loco rettulit, optime cum Laërtio congruit. Ac temporum utrumque rationem non habuisse nemo negabit. Cur igitur Diodorus fabulam, qua Croesum Pittacus ab expeditione contra insulanos parata deterruit, praeteriit in Pittaci vel Biantis vita. Nempe hoc loco de Croesi divitiis a Pittaco recusatis exposuit. Diogenes porro quidni ἀπόφθεγμα περὶ ξύλου ποικίλου interposuit fabulis, quippe quas eadem in serie, ac Diodorus rettulerit. Haec omnia num casu vel auctorum licentia sic composita esse verisimile est? Sed de hoc concentu alias.

Ineunte libro quae leguntur, in una re illa quidem cum Diogenis narratione conspirant. Etenim ab utroque Solon Salaminius appellatur. Contra Plutarchus in Solonis vita despingenda nihil de hoc eius ortu tradidit. Sed conferamus Diogenis de illo narrationem cum Diodori fragmentis. Ille post leges exiliter explicatas totam eius vitam usque ad Pisistrati tyrannidem et Solonis fugam perduxit. Quae sequuntur, magis illa quidem ad sapientem ipsum

quam ad legislatorem Atheniensium spectant, quo epistulae quoque spuriae pertinent. De Diodori scribendi via ac ratione pro perpaucis libri ruderibus non ita certum est iudicium. Legislationem autem ante fabulas de septem Sapientibus videtur enarravisse (cf. frgm. 1, 3: ὅτι ὁ αὐτὸς Σόλων ἐν τῇ νομοθεσίᾳ μεγάλην δόξαν περιποιησάμενος, ἐν ταῖς ἰδιωτικαῖς ὁμιλίαις κ. τ. λ.). Hoc unum admonere debemus, de tyrannorum vita moribusque ab eclogariis mala fortuna nihil excerptum esse. Unum fragmentum utinam de Periandro extaret. Quam facile iudicium esset, si cum Nicolao Damasceno conferremus.

In restituendo autem fragmentorum ordine editores erravisse videntur. Etenim fragmenta 1, 4 (de exc. de virt. et vitiis) et 2, 5 (de exc. Vaticanis, de quibus 2, 1. 2. 3. 4. 5) artissime inter se cohaerent. Nam Diogenes, ut Diodorus, cum Solonis legibus Aristogeitones, Harmodios educatos esse exponeret, praemia athletis vel certaminum victoribus tribuenda ab illo diminuta esse dixit. Ordinem igitur sic restituendum esse puto:

II, 1—4 (de Exc. Vat.); II, 5 (de Excerpt. Vat.);
I, 4 (de Excerpt. de virt. et vitiis).

Inepta autem et absurda haec est explanatio[1]) et rhetorum redolet usum. Neque vero Plutarchum (Solon. 23) optimo usus auctore de praemiis a Solone diminutis illis quidem sed institulis cogitavisse luce clarius est. Quid multa? Fragmentum 2 ab Ephoro alienum esse verisimillimum est. Atque haec fragmenta (1, 4; 2, 5) cum ob locum quo extant, tum ob argumentum, in quo versantur, futile illud quidem

1) Theod. Bergk (Poet. Lyr. Gr. ed. 4 vol. II p. 60 frgm. 44). Diodori locum e Solonis elegia petitum esse coniecit. Hac illum nimia artis gymnasticae studia pariter exagitavisse atque Xenophanem (frgm. 2). Plutarchi autem locus, quem conferri iubet, nihil ad hoc attinet. Atque me iudice inter Solonem et Xenophanem aliquid interest.

ac ineptum, auctorem significant, qui magis fabulis ac commentis operam dedit.

Iam vero fabula, quam dicunt, Romanensis de tripode eundem respicit auctorem. Etenim Graeci satis recentioris aetatis eam in deliciis videntur habuisse. Et fuisse inter singulas civitates magnam de illo contentionem satis multi auctores enarraverunt. Suo quaeque civi, qui in septem Sapientum numero habitus erat, honorem ac gloriam sapientissimi et modestissimi tribuere sedulo studuit. Quanta ambitio, quod principatus studium Graecis quasi insitum sit, quis est, qui ignoret. Civitates Graecorum quamdiu floruerunt ac viguerunt, hoc studium optimus quisque satiare potuit et satiavit publicis laboribus et operibus. Libertate erepta cum omnes boni a republica gerenda recederent, eorum studia in antiquitatis memoriam indagandam effervescebant. Nimirum enim viri patriae amantes splendorem ac gloriam temporum praeteritorum suae quisque civitati tribuere studuit. Rebus ab Alexandro Magno bene gestis quo magis evanuit libertatis spes, eo sedulosius homines ingenui his operam dedere studiis. Ea igitur aetate, qua Megarenses[1]), Corinthii, Boeotii cum inter se tum cum Atheniensibus non minus acerbe per litteras, quam olim per vim certabant de maiorum gloria, hac eadem dico aetate fabula illa exorta videtur esse de tripode. Quam fabulam quot rerum scriptores et narraverint et exornaverint, e variis perspicitur fabulae formis. Totum vero de tripode librum Androu, incertae aetatis auctor, scripsit. Tripodem alii, alii phialam, poculum alii, alii aliud finxerunt. Iam primum Diogenes et Diodorus in eo consentiunt, quod uterque Soloni primo palmam dedit. Sed in verborum consensus inquiramus.

---

1) Aristophanem Boetium (Plut. de Her. mal. c. 31 p. 864 B—G). Dieuchidam Megarensem, qui Atthidographorum fuere aequales.

Diodor. IX, 3: Ὅτι περὶ τοῦ χρυσοῦ τρίποδος ἀμφισβητήσεως οὔσης ἡ Πυθία ἔχρησεν οὕτως seq. versus Ἔκγονε. κ. τ. λ.

Diog. I, 28: ἀνασπασθέντος δὲ τοῦ τρίποδος ἀμφισβήτησις ἦν, ἕως οἱ Μιλήσιοι ἔπεμψαν εἰς Δελφοὺς καὶ ὁ θεὸς ἔχρησεν οὕτως·

Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος περὶ Φοῖβον ἐρωτᾷς
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.
διδοῦσι δ' οὖν Θαλῇ· ὁ δὲ ἄλλῳ ἕως Σόλωνος. ὁ δὲ κ. τ. λ.

Horum versuum concentus non leve praebet argumentum. Neque enim Valerius Maximus neque alii, qui idem referunt, congruunt cum his, quorum uterque ἀμφισβήτησις ἦν uterque „τίς" pro „ὅς"[1]) exhibet, uterque tripoda a Thale ad Solonem modo semel missum esse tradidit. Ac Diogenes et Diodorus hoc modo primam de illo fabulam videntur narravisse. Alios rettulisse, a piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quosdam iactum emisse. Tripode autem invento controversiam ortam esse et c. (cf. Valer. Maxim. IV, 1 Ext.) Ab aliis autem rem aliter traditam esse. Bello

1) Non recte Menagius τίς, quod Diodorus et Diogenes exhibent, in ὅς mutari commendavit. Quamquam in hoc pronomine iam veteres haesisse et ob id hoc videntur mutasse. Neque autem Graecos vel in deorum lingua τίς pronomine usos esse relativo puto. Editores autem perperam versum sic interpretati sunt: „Huic tripodem addico, cui sit sapientia prima." Sed oraculum, cum respondet, quaerit ex eis: Quis est sapientia princeps? Hac quaestione expedita deus illi, quem sapientissimum putent, mensam auream tribui iubet (τούτου τρίποδα εἶναι αὐδῶ). Haec quoque oraculi forma non ita perspicue deum ipsum intellegendum esse significat. Hunc nullo modo cognovissent, nisi deus quaerens eos difficultatis admonuisset. Dindorfius olim (Diogenes vol. II p. 622 append. critic. ad I, 28 vid. Diodor. Excerpta Vatic. p. 15 ed Rom p. 17 Lud. Dindorf.) in eandem sententiam videtur cessisse. Nam teste Huebnero in editione priore legebatur:

Τίς σοφίᾳ πρῶτος πάντων; τούτῳ (?) τρίποδ' αὐδῶ.

Sed Dindorf in editione, quam adii, altera hanc interpretationem non recepit.

inter Coos et Milesios conflato Apollinem Delphicum consuli placuit. Sed Diogenis oratio de hac re a Diodoro aliena est. Atque ipse sequentes de alio auctore deprompitas esse fabulas diserte dixit. Diodorus autem num in Thaletis vita alias addiderit de illo fabulas, velut in Biantis, in medio relinquendum est. Hoc pro certo haberi potest, Thaletis vitam, quamquam nullum de ea extat fragmentum, a Diodoro depictam esse. Is enim e numero fuit eorum, qui secundum Dicaearchum (Laërt. Diog. I, 41) omnium consensu sapientes habiti sunt. Nullus autem dubito, quin fragmenta, quae ad Solonem spectant (1, 3, 4; 2, 1, 2, 3, 4, 5; 3, 1; 1, 2) ex eodem ille fonte, quo de ceteris sapientibus deprompserit.

§ 2.

Nunc restat, ut de fragmento 4 vel quod eandem exhibet rem, 21 disseramus. An Maium et Kluberum sequemur, qui haec eclogariorum culpa repetita extare contenderunt? Haec virorum doctorum ratiocinatio, quam levis et futilis sit, supra disseruimus. Ac Diodorus cum in fragmentis (1—15) a Solonis profectus vita septem Sapientum fabulas narravisset, fragmento 16 ad bellum, quod vocatur, sacrum transiit. In fragmento 19, ut fragmenta illa quidem non de excerptis deprompta sed ab editoribus addita omittam, de Phalaridis tyrannide disceptavit. Iam vero in fragmento 21 Solonis exitum et Pisistrati tyrannidem primam rettulit. Etenim hanc narrationem, quam antea in fragmento 4 commemoraverat, cum ad iustum temporum rediret ordinem, a quo has fabulas explicando aberraverat, iterum eamque accuratius protulisse videtur. Fragmentum autem quartum ex eodem fonte, quo omnes de septem illis fabulas, haustum esse, e loco, quo extat, apertum est. Magna autem est quaestio, num ille fragmentum 21 de hoc eodem auctore deprompserit. Atque ut fragmenta ipsa (21 et 4) haudquaquam inter se discrepant, ita in fragmento

21 versus Solonis, ut B. Niese[1]) detexit, cum eis, quos Diogenes attulit, bene congruunt. Hic autem consensus ad fontes cognoscendos vel ob id magnum habet momentum, quod Plutarchus in eisdem versibus multifariam ab utroque dissidet. Sed tamen B. Niese Diodorum et Diogenem ex auctore hausisse opinatus est, qui hos versus ex eodem fonte, quo Plutarchus, deprompsisset. Quam opinionem quo melius diiudicemus, et versus ipsos a diversis auctoribus traditos conferamus et exquiramus, quonam de fonte Plutarchus Solonis carmina deprompserit.

A priore initium faciamus. Duo autem disticha, quibus Solon Pisistrati tyrannidem praedixisse narratur, apud utrumque[2]) sic exarata videmus:

Ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης
Βροντὴ δ'ἐκ λαμπρᾶς γίνεται ἀστεροπῆς
Ἀνδρῶν δ'ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται· εἰς δέ μονάρχου
Δῆμος ἀιδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσεν.[3])

Ac discrepantiae quaedam nonnullorum verborum inter Diogenem et Diodorum ex interpretamentis, quae saepius apud

1) Zur Geschichte Solons und seiner Zeit, historische Untersuch. von früheren Mitgliedern des histor. Seminars zu Greifswald u. Bonn, 1882 p. 3—8.

2) Th. Bergk, l. l. frgm. 9 cf. Diog. I, 50.

3) Apud Diodorum etiam hi versus extant post allatos:

Λίης δ'ἐξέραντα ῥαίδιόν ἐστι κατασχεῖν
Ὕστερον, ἀλλ ἤδη χρὴ περὶ πάντα νοεῖν.

His in versibus torquent se carminis interpretes. Hoc ob id inane me quidem iudice est, quod post versum 5 (frgm. 9 Bgk.) nonulla omissa sint necesse est. Bergkii aliorumque coniecturae etsi probabiles essent, tamen alter versus *Ὕστερον ἀλλ'* male cum priore coniungeretur. Fortasse Plutarchus sententiam reddit: Sol. c. 30 *ὅτι καὶ τό μνημονευόμενον εἶπεν ὡς „πρώην μὲν εὐμαρέστερον αὐτοῖς τὸ κωλῦσαι τὴν τυραννίδα τὴν συνισταμένην, νῦν δὲ μεῖζόν ἐστι καὶ λαμπρότερον ἐκκόψαι καὶ ἀνελεῖν συνεστῶσαν ἤδη κ. τ. λ.* Nescio an vox *εὐμαρέστερον* e versibus ipsis fluxerit. Hoc autem contraria annectendi genus poetae elegiaci, ut infra explicabo, in deliciis habebant. Post versum igitur *Λίης δ'ἐξέραντα* pentametrum et hexametrum excidisse puto. Hunc subsecutus est Pentameter: *Ὕστερον, ἀλλ ἤδη χρὴ περὶ πάντα νοεῖν.*

illum pro genuinis lectionibus posita sunt, videntur fluxisse. Huc illud spectat, quod apud Diogenem pro *πέλεται* (v. 1) *γίγνεται*[1]), pro *αἰδρείῃ*[2]) *ἄιδρις ἐὼν* ex Homero illud quidem notum, scriptum videmus. Idem enim in altero, quod traditum est, de tripode oraculo pro *ἐκ μέσσου — ἐκ πόλιος* pro *ὃς σοφίῃ τά τ' ἔοντα τὰ τ' ἐσσόμενα προδέδορκεν* ex epicorum formula (cfr. Hes. Theog. 38 Ilias A, 70) *ὃς δεδάηκα τὰ τ' ὄντα τ' ἐσσόμενα προ τ' ἐόντα* et pro Pittaci scito *τὸ ἴσον ἐστὶ τοῦ πλείονος πλέον* Hesiodi (op. et d. v. 40) *τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πλεῖον εἶναι* Sosicrate auctore posuit.

Iam vero prius distichon (v. 1, 2 *Ἐκ νεφέλης πέλεται κ. τ. λ.*) apud Plutarchum (vita Sol. c. 3) extat coniunctum cum his versibus (frgm. 12):

Ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται· ἢν δέ τις αὐτὴν
Μὴ κινῇ, πάντων ἐστι δικαιοτάτη.

Hos versus ex hoc conexu Th. Bergkius demovit. Nam duo disticha, e diversis sumpta carminibus, a Plutarcho composita esse opinatus est. Huic opinioni a compluribus comprobatae nuper B. Niese (l. l. p. 5 A. 1) obstitit. Hoc iudice Plutarchus solus nativam ac veram prae se fert versuum seriem; ab editoribus autem inepte his quattuor vel duobus prioribus versibus distichon, quod ad Pisistrati tyrannidem pertineret, adiunctum esse. Quattuor enim versus, quos Plutarchus attulit, a rebus publicis prorsus alienos esse ei visum est. Utriusque opiniones et probanda continent et respuenda. Ac ne illud quidem, quod Ernestus de Leutsch[3]) protulit, recte explicatum est. Nihil ille ad rerum natura-

1) *πέλεται* Plutarchus quoque exhibet.

2) Diodorus hoc loco scripsit *αἰδρείῃ*, altero loco (XIX, 1, 4), quem e voce *τυράννου* pro *μονάρχου* apparet depromptum esse de diverso fonte, *αἰδρίῃ* (cfr. de diphthongis Th. Bergkii ann. ad. Theogn. v. 705). Ex interpretamentis apud Diogenem in carminum orationem in frgm. 11 v. 1 f. pro *λευγαλέα δεινά* et pro *ῥήματα* vel *ἐρήματα ῥῆσιν* irrepsisse consentaneum est.

3) Philolog. vol. 31 Solon Jhresbr. p. 136.

lium scientiam, quam Plutarchus illustrare vellet, eos pertinere contendit. Plutarchus autem haec disticha idcirco attulit, ut quam simplex et rerum naturalium rudis Solon fuisset, appareret. Neque quaquam peculiare de rebus naturalibus carmen a Solone conditum esse tradidit.

Iam vero exquiramus, num hi versus Ἐξ ἀνέμων κ. τ. λ. satis apte coniungi possint cum disticho, quod Diogenes et Diodorus exhibent. Hos autem Th. Bergkius sic explicavit (ad frgm. 12): Dixisse poetam de populo qui nisi improbis utatur ducibus, sit iustissimus, sicut mare placidum, ventis non turbantibus. Atque cum alia, quae ille ad hunc locum collegit, tum conferas velim fragmentum notissimum Alcaei (18)[1], quod ad explicandum v. d. Heraclidis attulit locum: τὰς γὰρ τυραννικὰς ταραχὰς ἐξ ἴσου χειμερινῷ προσεικάζει καταστήματι θαλάσσης. Cui autem non in mentem venit illud Horatianum (Carm. II, 17, 19), quo ventum undae appellavit tyrannum. At conexus versuum additis verbis ἢν δέ τις αὐτὴν μὴ κινῇ, πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη deletur. Hoc, ni fallor, viros doctos offendit et recte offendisse videatur. Concedamus[2]), aliquid desiderari, quo comparationi in utramque partem sententia se accomodat. Quaeritur autem hoc ipsum, utrum Diodoro lacunam post

---

1) Th. Bergk., l. l. II p. 154 Heraclid. Alleg. c. 5. Eandem comparationem Aristophanes respexit, cum Paphalagonem, ut saepius se ipsum cavillantem finxit, dicentem faceret Equit. v. 430:

Ἔξειμι γάρ σοι λαμπρὸς ἤδη καὶ μέγας καθιείς
Ὁμοῦ ταράσσων τήν τε γῆν καὶ τὴν θάλατταν ἤδη.

2) Extant perpaucae apud poetas elegiacos comparationes. Solon ipse frgm. 13 Bgk. v. 18—24: Iovis ultionem cum vento comparavit verno, qui mare et terras verrit et subito vexat turbine et vel ad nubila caeli stragem propagat, sed placatus eo maiorem caeli efficit serenitatem. In sequentibus autem dei poenas in omnes mortales irruere cantat. Ita venti vim poeta hoc loco in utramque partem respexit, cum τίσις θεῶν, quamquam de purgandi vi cogitari potest, perniciosa modo et mortifera depingitur. Sed tamen ex hoc uno exemplo non ita multum perspicitur. In aliis autem Solonis carminibus nulla extat comparatio.

v.: *Δῆμος ἀιδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσεν* addicamus an a Plutarcho versus male coniunctos esse statuamus. Causa autem, cur Plutarchus altero loco (v. Sol. c. 2) *ἀλλ' ἑτέρωθι λέγει* dixerit, cum e diversis carminibus complures versus afferret, altero omiserit, vix intellegi potest. Sed ad hanc rem diiudicandam magnum illud momentum habet, quod poetae elegiaci contraria opponere solent: Conferas velim (Theogn. 727):

Ἐν δὲ τοιῷδε γένει χρήματ' ἄριστον ἔχειν
Εἰ μὲν γὰρ πλουτεῖς, πολλοὶ φίλοι, ἢν δὲ πένηαι
Παῦροι, κοὔκεθ' ὁμῶς αὐτὸς ἀνὴρ ἀγαθός.

cf. 219. *Οἶνον τοι πίνειν πουλὺν κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν,*
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς ἀλλ' ἀγαθός.

1355. *Ἢν μὲν γὰρ τελέσῃ, γλυκὺ γίνεται, ἢν δὲ διώκων*
Μὴ τελέσῃ, πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον.

845. *Εὖ μὲν κείμενον ἄνδρα κακῶς θέμεν εὐμαρές ἐστιν*
Εὖ δὲ θέμεν τὸ κακῶς κείμενον ἀργάλεον.

Ac simili modo opposita leguntur apud eundem v. 162, 64; 197—200; 797, 98; 929, 30; 895, 96. Confer etiam Callini frgm. 1 v. 16, 17. Hoc autem modo Solonem dixisse puto. Ut mare ventis agitantibus turbatur, sed remittentibus placidum, ita respublica ad summum rerum discrimen adducitur, si homines potentiores existunt; his autem absentibus quiete fruitur atque otio. A Diodoro autem versus omissos esse nihil moror. Is quidem, ut supra dixi, post vers. 5 frgm. 9 pentametrum et hexametrum neglexerit necesse est. Ac si haec recte disputata sunt, apud Diogenem et Diodorum versus *Ἐξ ἀνέμων κ. τ. λ.* item excidisse apparet. Hac autem ratione sententiae inter se excipiunt: Qua necessitate et e nubium congerie vis imbris atque nivis et e fulminibus tonitrus oriuntur, qua vero necessitate ventis turbantibus mare impotens, sed cadentibus placidum, hac eadem reipublicae libertas interit, si homines potentiores existunt, (servatur, si tolluntur). Eodem igitur consilio, quo

Homerus ad rem illustrandam quattuor vel etiam plura in comparando profert, gradatione quadam progressus poeta omnem rem comparatione cum ventis adhibita complectitur. Attamen quis in tam corrupto scripturae traditae statu aliquid certius diiudicare audeat. Et pendet tota quaestio e fide Plutarchi, quam prorsus nullam in his rebus esse viri docti[1]) autumant. Hoc tenendum est, ex hoc loco nihil colligi posse ad huius auctoritatem neque confirmandam neque imminuendam.

Sed multo certius de fragmento 11 Solonis diiudicare possumus. Versus autem apud utrumque (cf. Diog. I, 52) sic leguntur[2]):

Εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι' ὑμετέραν κακότητα
Μή θεοῖσιν ταύτην μοῖραν ἐπαμφέρετε.
Αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατε ῥύματα δόντες
Καὶ διὰ τοῦτο κακὴν ἴσχετε δουλοσύνην.
Ὑμῶν δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει
Συμπᾶσιν δ' ὑμῖν κοῦφος ἔνεστι νόος
Εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρὸς
Εἰς ἔργον οὐδὲν γινόμενον βλέπετε.

Uterque a Solone hos versus Pisistrato iam tyranno conditos esse tradidit.[3]) Ac quattuor priores versus hoc verbis *πεπόνθατε, ηὐξήσατε, ἴσχετε* bene confirmant. Versus

1) cfr. Leutsch l. l. p. 139. — „Plutarch führt die Stellen so nachlässig und verstümmelt an, dass seine Lesart nicht einmal für die alte angesehen werden darf.“ cf. Blass Hermes XV p. 369.

2) Nonnullae lectiones apud utrumque librariorum culpa corruptae sunt. Velut v. 1 *ὑμετέραν* apud Diodorum pro *ὑμετέρην* v. 2. *μὴ θεοῖσι ταύτην* pro *μή τι θεοῖς τούτων* et v. 4 apud Diog. *ἔχετε* pro *ἴσχετε* extat.

3) Ex. H. Flachii indicio (Gesch. der gr. Lyrik II, Tübingen 1884 p. 374 ann. 2) fragmenta 9—12 ex una elegia sumpta sunt. Neque tamen in carminis fragmentis exponendis v. d. sibi constitit. (cf. p. 375). Ac neglexisse videatur, non modo secundum Diogenem (I, 52), sed omnium consensu (Diodori et Plutarchi) versus 1—4 Pisistrato iam tyranno factos esse.

autem (5—8), qui sequuntur, Solon minime Pisistrato rerum potito scribere potuit. Nam poeta dominationem instantem (v. 8) illam quidem sed nondum partam respexit. Atque hoc verba *βαίνει*, *ὁρᾶτε* satis aperte significant. Itaque etsi nullum huius rei extaret documentum, de hoc versuum conexu dubitare iam non liceret. Sed genuinam versuum seriem Plutarchus[1]), ut rectissime B. Niese (l. l. p. 5) perspexit, prae se fert. Hoc enim auctore Solon[2]) hos versus scripsit, cum Pisistrato satellites ab Atheniensibus addicti essent.

Εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε καὶ εἰς ἔπη αἱμύλου ἀνδρός.
Ὑμῶν δ'εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει,
Συμπᾶσιν δ'ὑμῖν χαῦνος ἔνεστι νόος.

Quae adhortationes, cum ad irritum cecidissent, Solon *τυραννίδος ἤδη συνεστώσης καὶ πεφυκυίας* (c. 30 extr.) dixit:

Εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρά κ. τ. λ.

Atque Plutarchus ut seriem versuum bene servavit, ita eorum orationem non ita corruptit. Quamquam in versu 2 frgm.:

Μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε.

Plutarchus pro *μοῖραν* inepte *μῆνιν* posuit. Nam cum *μοῖραν ἐπαμφέρειν*[3]) usitatum est, tum e proximo versu lucide apparet

Αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατε ῥύματα δόντες

ab Atheniensibus culpam in iustos deos iniuria reiectam esse. In versu autem 7 fragmenti 9

Συμπᾶσιν δ'ὑμῖν κοῦφος ἔνεστι νόος.

---

1) Hunc Max Duncker (Gesch. des Altertums, VI. Bd. 5. Aufl. Leipzig 1882, p. 452) secutus est.

2) Versum *Εἰς ἔργον δ'οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε* utrum Plutarchus an eius librarii omiserint, ad rem hihil attinet. Neque id satis apparet, num recte ille alterum distichon *Ὑμῶν δ'εἷς κ. τ. λ.* post alterum „*Εἰς γὰρ γλῶσσαν*" posuerit.

3) cfr. Th. Kock annot. ad Aristoph. nub. v. 160 et 2080.

Plutarchus solus pro „*κοῦφος*“ „*χαῦνος*“ exhibet. Hoc recte Th. Bergk in carminis textum recepit. *Κοῦφος* enim nihil aliud nisi interpretamentum[1]) illius *χαῦνος* esse videatur. Eodem igitur spectat, quo, quae supra ad Diogenem (p. 24) attuli. Solon ipse altero loco fragmenti 35 v. 1 *χαῦνα μὲν τότ' ἐφράσαντο* dixit. Versus (7, 8) denique apud Diodorum et Diogenem sic exaratos videmus:

Εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρὸς
Εἰς ἔργον οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε.

---

1) *Χαῦνος* idem videtur valere quod *χάσκων* vel *κεχηνώς*, quibus verbis apud Aristophanem *Δῆμος Ἀθηναίων* saepius appellatur. Solonis autem versuum nescio an comicus ille recordatus sit, cum diceret: Equit. 752 sq.:

Ὁ γὰρ γέρων
Οἴκοι μὲν ἀνδρῶν ἔστι δεξιώτατος
Ὅταν δ' ἐπὶ ταύτησι καθῆται τῆς πέτρας
Κέχηνεν ὥσπερ ἐμποδίζων ἰσχάδας.

Id est: Civis quisque domi est probissimus, sed in consilio universus populus ore hiante et hebescens sicut homo, qui ficos alligat. Cfr. Aristophan. equit. 1175—78, ubi poeta Solonis fragmentum 14, 1—4. Bergk. perstringere videtur. Cratinus autem in comoedia quae inscribitur *νόμοι* Solonis versum:

Ὑμῶν δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει

leviter commutatum attulit:

Ὑμῶν δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπηξ δωροδοκεῖται

(cfr. Th. Bergk, Comm. de rel. com. attic. p. 135). Ad Solonis versus *κ. τ. λ. Ὑμῶν δ' εἷς μὲν κ. τ. λ.* conferas velim Schillerum nostrum:

Jeder, sieht man ihn einzeln, ist leidlich klug und verständig,
Sind sie in corpore, gleich wird euch ein Dummkopf daraus.

Nauck autem (in Philologo v. X, p. 575) pro *χαῦνος* aut *κοῦφος*, *καῦρος* legendum esse statuit, quod *κακός* significat. Etenim vestigia vulpis premere, id est vulpem esse, non modo levis et languescentis ingenii, sed etiam pravi esse ratus est. Fortasse vir doctissimus de Simonidis Amorgini fragmento 7 (Bergk II vol. p. 446) cogitavit. In sexto versu leguntur:

Τὴν ἐξ ἀλιτρῆς θεός ἔθηκ' ἀλώπεκος
Γυναῖκα πάντων ἴδριν . . .

Sed hoc loco *ἀλιτρός* illud quidem non nefarium sed callidum significat. Confer. Odyss. *ε*. 182:

Ἦ δὴ ἀλιτρὸς γ' ἐσσὶ καὶ οὐκ ἀποφώλια εἰδώς.

Solon autem Atheniensibus laudi vertit, quod unus quisque vulpis sit.

Plutarchus autem pro *ἔπος αἰόλον ἀνδρός* exhibet *ἔπη αἱμύλου ἀνδρὸς*. Hanc quoque lectionem speciosam esse Th. Bergk sensit. Cur non recepit? An hiatus grammaticorum offendit nares? Hiatum autem in quinta arsi a poetis elegiacis admissum esse Ahrens[1]) docte collegit. In sexta eum apud Phocylidem extare video (frgm. 15 Bergk l. l.) *ἄλλοτε ἄλλον*.[2]) Neque omnino pro perpaucis fragmentis diiudicare possumus, quid poetis elegiacis in hoc genere licuerit aut probatum sit. *Γλῶσσα* et *ἔπη* porro, quid significent, vel omisso „*αἰόλον*" perspicuum est. Immo epitheton iners atque otiosum est. Saepius illud *γλῶσσα* a Theognide hoc modo positum videmus (cf. v. 96 v. 760 v. 1185). Atque apud hunc poetam *γλῶσσα* et *ἔπη* pariter coniuncta sunt:

86. *Μὴ ἔπεσιν στέργε, νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλας κ. τ. λ.*
91. *Ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ.*

Etenim pluralis „*ἔπη*" si non desideratur, at certe ad illud „*γλῶσσα*" optime se accommodat. *Ἀνδρός* denique sine epitheto de Pisistrato[3]) intellegi nullo modo potest. Praeterea *αἰόλον*, cum vocabulum notissimum sit, apud Diogenem et Diodorum eodem modo, quo *δεινὰ κοῦφος ἄνδρες ἐών*, alia, irrepsisse verisimillimum est. Cum autem ex *αἰόλον αἰόλον* corruptum

---

1) De hiatu apud eleg. poet., Philolog. III, p. 227.

2) Hiatus in verbis *ἄλλοτε ἄλλος* compluribus exemplis potest comprobari. Cf. Bergkii annot. ad Solon. frgm. 13 et Odyss. *δ*. 236, sed *ω* 415: *ἄλλοθεν ἄλλος* extat. Ex hoc exemplo apparet non formulae causa, ut Ahrens statuit. l. l., hiatum admissum esse. cfr. etiam Il. *Β* 75.

3) *Αἱμύλος* de hominibus etiam dici ex his locis perspicitur:

Arist. Lysistr. 1269. *Τῶν αἱμυλᾶν ἀλωπέκων*, Soph. Aiax. 389 de ulixe *τὸν αἱμυλώτατον*, de eodem in Rhes. v. 498 *αἱμυλώτατον κρότημ'* — *Ὀδυσσεύς*. N. Bachius (Solonis Atheniensis carminum quae supersunt. Bonnae 1825 p. 98 fgm. 19 Bgk.) Plutarchi lectionem *ἔπη αἱμύλου* certissime Diogenis et Diodori *ἔπος αἰόλον* praestare sensit. Inepte autem A. Maius p. 22 a (Script. hist. nov. coll. Bonnae 1827) *αἱμύλον* e praecedenti Plutarchi capite 29 *καὶ γὰρ αἱμύλον τι καὶ προσφιλὲς εἶχεν* depromptum esse contendit. Contra hoc e carmine fluxisse consentaneum est.

esset, *ἔπη* mutatum est in *ἔπος*. Sed concedamus, ut *μῆνιν* pro *μοῖραν*, item *ἔπος αἰόλον* pro *ἔπη αἱμύλου* falso a Plutarcho positum esse. His e corruptelis quidnam apparet? Nihil enim obstat, quominus talia codici carmina Solonis continenti addicamus, nisi forte cum R. Printzio[1]) tam multa a Plutarcho memoriter allata esse putes.

Neque vero id ad Plutarchi fontes cognoscendos magnum habet momentum, e 64 versibus, quos ille attulit, decem eosdem extare apud Diogenem, qui modo viginti Solonis versus laudavit. Nimirum enim apud poetas lyricos omnium fere aetatum non ita multum invenimus, quod ad eorum vitam moresque exponenda pertineat. Conferas velim quantillum eiusmodi apud Schillerum, ut veteres omittam, extet.

Iam vero G. Niebuhr[2]) Solonis carmina a Plutarcho e florilegio nescio quo hausta esse, colligendum esse censuit ex his versibus:

Αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος
Κόσμον ἐπέων ᾠδὴν ἀντ' ἀγορῆς θέμενος.

Plutarcho autem, quo auctore hi versus carminis exordium erant, fidem habendam esse vir summus negavit. Et assensi sunt ei Ernst de Leutsch (l. l.), H. Begemann[3]), alii. Etenim hos omnes viros doctos offendit, quod Solon ut praeco ex hostili profectus est insula. Solon autem cum omnium[4])

---

1) R. Prinz, De Solonis Plutarchei fontibus, diss. Bonn. 1867, p. 18.

2) B. G. Niebuhr, Vorträge über alte Geschichte, vol. I ed. M. Niebuhr, Berlin 1847, p. 347 sq.

3) Quaestiones Soloneae spec. II, Gymnasialprogramm Allenstein, Königsberg 1878, p. 5 sq.

4) Quod Demosthenes *περὶ παραπρεσβείας* p. 201 nihil de insaniae simulatione exhibet, ut apud oratorem nullius momenti est. Quod Iustinus II, 7, 11 de Solonis dementia dixit: factoque concursu hominum, quo magis consilium dissimulet, insolitis ibi (Refferscheid sibi ed.) versibus suadere populo coepit etc., hoc auctor Iustini, cum aetatis suae usum respiceret, de suo addidit. Neque enim puto, e ver-

consensu sese insanire simularet, hoc apte fingere potuit. Quod nisi fecisset, ut poeta apte se praeconem finxisset, quo magis Atheniensium animos excitaret. Neque e perpaucis carminis fragmentis apparet, quo modo ille hoc in carmine ipso explicaverit. Quod vero Begemannus contendit, hos versus cum extremis discrepare, nescio utrum in plurali haeserit, an in adhortatione. Utrumque autem tam vehemens ac tam luculentum esse videatur, ut nihil magis idoneum ad Atheniensium animos incitandos cogitari possit.

Ac ne argumenta quidem, quae Ernst de Leutsch (l. l. p. 136 sq.) protulit, probanda sunt. Plutarchum enim, si carmina ipsa inspexisset, de multis rebus aliter iudicaturum fuisse contendit.

1. Plutarchum (v. Sol. c. 3) dubitare non potuisse quin versus frgm. 31 e carmine de legibus sumpti spurii essent. Hodie autem si codex Solonis carmina continens extaret, tamen viri docti in medio relinquerent, versus in codice omissa essent casu an consulto, quod spurii essent, nisi ex aliis argumentis aut hoc aut illud colligere possent. Tantum igitur abest, ut dubitatio Plutarcho opprobrio vertenda sit, ut ei laudi sit, quod non temere hoc fragmentum Soloni abiudicavit.

2. Plutarchus versibus allatis, cur Solon tyrannidem recusavisset, dixit (c. 17): *ὅθεν εὔδηλον, ὅτι καὶ πρὸ τῆς νομοθεσίας μεγάλην δόξαν εἶχεν.* Vir doctus quaesivit, num hoc tam luculenter ex his versibus appareret. Certe! e versibus autem hoc colligi Plutarchus ipse noluit. Nam totam praecedentem narrationem respexit, et Pythiae oraculum et Atheniensium voluntates et tyrannidem oblatam.

---

sibus insaniam Solonis fictam esse. Cur autem M. Duncker, l. l. VI, p. 144 et ib. annot., qui recte non dubitavit, quin versus re vera a Solone recitarentur, eius amentiam aperte fictam esse contenderit, non video.

3. Quae idem de conexu ac sententia fragmentorum 9 et 12 disseruit, haec si recte a me exposita sunt (cf. p. 23 et 27) opinioni illius contraria videntur illustrare.

4. Plutarchus denique inepte ex illius iudicio cum scriberet:

Πρῶτον μὲν οὖν εἰς Αἴγυπτον ἀφίκετο καὶ διέτριψεν ὡς καὶ πρότερον αὐτός φησι
Νείλου ἐπὶ προχοῇσι Κανωβίδος ἐγγύθεν ἀκτῆς

illud *πρότερον* ad iter antea susceptum spectare putavit, cum eius auctor alium carminum respexisset locum. Sed *πρότερον* sensu plane caret. Atque in proclivi est, quod ab aliis grammaticis propositum nuper H. Flach (p. 371 ann. 2) probavit, *πρότερον* e praecedenti *πρῶτον* irrepsisse.

Ernesti de Leutsch argumentis confutatis exquirendum est, quonam iure, Blass[1]) Plutarcho crimini dederit, quod in cap. 16 versus e diversis sumptos carminibus male coniunxisset. Extant autem sic apud Plutarchum:

Οὐκ ἂν κατέσχε δῆμον οὔτ[2]) *ἐπαύσατο*
Πρὶν ἂν ταράξας πῖαρ ἐξέλῃ γάλα.

Atque Aristides (*π. τοῦ παραφθέγμ.* or. 49 vol. II p. 556 ed. G. Dindorf) cum carmen afferens in priorem versum incidisset, post verba *οὐκ ἂν κατέσχε δῆμον* orationem abrupit et nonnullis de suo additis, dixit: *εἶτά τί φησιν· Εἰ γὰρ ἤθελον κ. τ. λ.* Diu autem Th. Bergk Plutarchum in versibus exarandis secutus erat, cum papryo Berolinensi invento, qui mala fortuna lacunam post duas primas litteras verbi *κατέσχε* exhibet, Blassius versus sic componendos docuit:

---

1) Hermes XV, p. 369 sq.

2) *Δῆμον κατέσχε*, pro quo Reiske *θυμόν*, Ahrens *λῆμ' ὂν* coniecit, Bergk recte retinuit. Nam *θυμὸν κατέσχε* idem significat, quod *οὐκ ἐπαύσατο κ. τ. λ.* Praeterea Solon ea re ipsa populum a se cohibitum esse, saepius gloriatus est, quod neque *φιλοκτήμων* neque *κακοφραδής* fuisset. Her. I, 59 (Stein, p. 66): *Τούτων δὴ ὦν ἐθνέων τὸ μὲν Ἀττικὸν κατεχόμενον . . . . ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ Ἱπποκράτους.*

Οὐκ ἂν κατέσχε δῆμον· εἰ γὰρ ἤθελον
Ἃ τοῖς ἐναντίοισιν ἥνδανεν τότε.

Huic obstitit Th. Bergk[1]), cum lacunam sic explendam esse proponeret: *οὐκ ἂν κατέσχε δῆμον· εἰ θ' ὑπορβὰς· εἰ γὰρ ἤθελον.* Atque simile quoddam Hugo Landwehr[2]), cum in papyrum inquireret, (*ἅμα δέ φησιν*) interponendum esse statuit. Contra hos Blass[3]) duo protulit argumenta. Primum quidem ei visum est litterarum numerum si ex eodem loco, quo in linea 20 post *α* verbi *κατέσχε*, computantur, obstare, quominus verba eiusmodi inserantur. In hoc autem papyro numeri litterarum ita fluctuant, ut certius ex his nihil colligi possit. Velut in lineis 7, 8 e loco significato XIII, l. 29 XVIII, in lin. 11 viginti litterae explendae sunt. Cur igitur non magis licet de 22 vel 23 litteris, quam de 12 cogitare. Neque quod ille dixit, tam longo carminis fragmento abrupto ab Aristotele, cum ad alterum eiusdem carminis reverteretur locum, aliquid fusius quam verba eiusmodi (*ἅμα δέ φησιν*) interponendum fuisse, pro certo ac explorato haberi potest. Nam etsi haec omnia reapse de Aristotele ipso ad verbum deprompta sunt, tamen quo modo tam longo carminis fragmento ille alterum annexerit, diiudicare non possumus, cum nihil eiusmodi apud hunc extet. Praeterea versus, ut apud Plutarchum exaratos videmus, praeclarum prae se ferunt sensum, cum ante illud: *εἰ γὰρ ἤθελον* aliquid desiderari et Th. Bergk et alii censerent.

Begemannus (l. l. p. 5) denique statuit contra Plutarchi consuetudinem fuisse, fontes asciscere primarios ac non ex auctoribus haurire, qui omnia iam expedivissent (fontes derivati). Idem vero versus Solonis ab illo allatos tam arte cum narrationibus et praecedentibus et sequentibus cohaerere

1) Rh. Museum vol. 36, p. 115 ann. 2.

2) Papyrum Berolinensem No. 163 Musei Aegyptiaci ed. Hugo Landwehr. Gotha 1883, p. 16.

3) Hermes XVIII, p. 439.

contendit, ut omnia ex eodem auctore deprompta esse appareret. Utrumque autem magis iudicium quam argumentum videtur esse. Hoc ipsum enim quaeritur, qua ratione Plutarchus[1]) auctores, quibus usus est, adhibuerit.

Iam perspicuum fore spero nihil esse, quod Plutarcho in versibus Solonis traditis fidem derogemus aut negemus ab hoc e carminibus integris versus depromptos esse.[2]) Quo concesso hoc affirmari potest, a Diogene et Diodoro Solonis versus — id quod eorum consensus apertissime significat — ex eodem fonte depromptos esse. Iam apertum est, fragmentum 21 ex Ephoro non fluxisse. Nam Diogenes ex Alexandrinis[3]) per tot rivulos pendet. Atque a Diodoro prorsus alienum est e carminibus diligentius excerpere, quae ad historiam pertinent. Itaque fragmentum 21 quamquam cum Diogenis narratione paululum discrepat, (ut infra explicabo) tamen ex eodem fonte fluxisse puto, e quo ceterae septem Sapientum apud Diodorum fabulae, quantum cum Diogene consentiunt.

1) Confer. Adolfum Schmidt, d. perikleische Zeitalter vol. II, p. 47 sq. et p. 49. „Nichthistorische Quellen primären, sekundären u. tertiären Ranges zieht Plutarch fast bei jeder Lebensbeschreibung subsidiarisch aus den verschiedensten Gebieten der Litteratur herbei.“

2) In comparatione Solonis c. Poplicola. c. 1. Tellum Solonis carminibus non praedicatum esse Plutarchus diserte dixit. Nonne consentaneum est, ab illo e sua ipsius scientia haec hausta esse?

3) Quamquam hoc ex annotationibus stichometricis (cf. E. v. Leutsch, p. 136) concludere iam non licet. E. Hillerus (Rhein. Museum v. 33, p. 523) has omnes a Lobone fictas esse demonstravit. Tamen Hiller e Solonis carminibus omnia exceptis illis „δημηγορίαι“ recte enumerata esse contendit. Hoc certum est, cum e toto conexu, tum ex inepta interpolatione „δημηγοριῶν, in eadem officina hunc indicem fabricatum esse, in qua ceterorum sapientum carmina. Quamquam Lobon ad veri speciem augendam genuina indici inserere potuit, tamen quam multum verum aut fictum sit nisi alii testes accedunt, diiudicari non potest. Velut nescio an νόμοι item a Lobone hinc indici falso inserti sint, quamquam Duncker l. l. VI, p. 249 et ib. ann. 2 hoc carmen reapse a Solone factum esse statuit. H. Flach recte l. l. p. 362 ann. 2 dubitavit, num numerus quinque milium versuum verus esset.

§ 3.

Restat ut exquiramus, quonam auctore usus sit Diodorus in his fabulis exponendis. Hunc autem Alexandrinorum aetate fuisse, cum e consensu cum Diogene apparet, tum hoc probatur, quod ille neminem septem Sapientum ceteris anteposuit. Nam etsi in fabulis de tripode expositis nonnulla ab excerptoribus omissa esse negas, tamen quod in altero fragmento (3, 3) Soloni, Bianti in altero (13, 2) palma data est, hoc apertum est. Omnes igitur auctores, qui has fabulas pro patriae splendore ac gloria augendo narraverunt, excludantur necesse est.

Iam vero Diodorum si cum Diogene contulerimus, apparebit, ab auctore illo quidem septem illos non in conventu vel convivio colloquentes fictos sed singulorum vitam moresque singillatim depicta esse.

Tribus denique locis, quibus Diogenes et Diodorus idem referunt, Sosicrates a Diogene allatus est.

1. Primum conferas Diodori frgm. 12, 2 cum Diogene I, 75: *Σωσικράτης δέ φησιν ὅτι ὀλίγον ἀποτεμόμενος ἔφη· τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πλεῖον εἶναι.* Inde apparet, fabulae formam a Sosicrate paululum commutatam esse, quod Diodori quoque narratione confirmatur. Tamen fabularum seriem apud utrumque ita consentire demonstravi cf. p. 14, ut ex eodem utrumque auctore hausisse consentaneum sit.

2. Extat autem alter locus apud Diogenem in Mysonis vita (I, 106): *Μύσων . . ὥς φησι Σωσικράτης Ἕρμιππον παρατιθέμενος, τὸ γένος Χηνεὺς ἀπὸ κώμης τινὸς Οἰταικῆς ἢ Λακωνικῆς.* Hoc cum loco bene consentit Diodorus (5, 2 cf. 6): *Ὅτι Μύσων τις ἦν Μαλιεὺς καὶ ᾤκει τὴν Οἴτην εἰς κώμην Χηνὰς καλουμένην.*[1]) Sosicrates autem Hermippum,

1) Herwerden in verbis *καὶ ᾤκει τὴν Οἴτην εἰς κώμην Χηνὰς καλουμένην* ponendum esse pro *εἰς κ. τ. λ. ἐν κώμῃ Χηναῖς καλουμένῃ* statuit (ut. init. fragm. 6). Hunc prudenter editores secuti non sunt. Atque nescio an Diodorus exhibuerit *καὶ ᾤκει τὴν Οἴτην;* de Anachar-

ut veteres facere solebant, attulit, cum ipse ab hoc dissentiret. Cf. Diog. I, 107: *Σωσικράτης ἐν διαδοχαῖς (Μύσωνα) ἀπὸ μὲν πατρὸς Ἠτεῖον, ἀπὸ δὲ μητρὸς Χηνέα κ. τ. λ.*

3. Venio ad tertium locum, difficillimum illum quidem explicatu. Legitur autem apud Diogenem (§§ 49—52) Sosicrate auctore, Solonem, cum armatus in contionem prosiluisset, insidias Pisistrati aperuisse. Hunc autem ad libertatem defendendam paratum senatus insanire censuit. Tyrannide praedicta ille ab armis discessit et in Aegyptum profectus est. Qui cum Pisistratum iam tyrannum esse accepisset, haec Atheniensibus scripsit (frgm. 11 Bgk. *Εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ κ. τ. λ.*). Haec omnia de Sosicrate, opinor, deprompta sunt. Hic enim diligentior, quam qui ante eum scripserunt, fuit in exquirendis temporibus. Ob id, ut Solonis cum Croeso colloquium ad temporum rationem revocaret[1]), hoc loco ab Hermippo dissidens, fugam eius narravit. Hoc enim auctore Plutarchus tradidit, cum Solonem multo antea cum Croeso congressum esse, tum Pisistratum Solone usum esse amico. Qui, cum multa acerbe contra tyrannum dixisset, ab amicis aut a Pisistrato interrogatus, qua re confisus hoc facere ausus esset, respondit *τῷ γήρᾳ*. Cum hac narratione Diodori fragmenta 4 et 2 versibus exceptis congruunt. Versus autem Plutarchus e carminibus ipsis videtur hausisse, ut horum discrepantia ad rem nihil attineat. Itaque hoc quoque loco Diogenes Sosicratem

---

side autem ille narravisse videatur: *ἦλθε εἰς κώμην Χηνὰς καλουμένην.* Nam hac contrahendi ratione Diodori orationem saepius ab eclogariis corruptam essee puto. Quamquam haud ignoro, praepositionibus *εἰς* et *ἐν* Byzantinos promiscue usos esse. Sed de his rebus certius nemo potest iudicare, nisi in totam excerptorum orationem inquirit.

1) H. Diels Rh. M. vol. 31 l. l. p. 21 Sosicratem post Hermippum, Panaetium, Apollodorum fuisse statuit, quos omnes accivit. Atque v. d. perspexit Sosicratem multo diligentiorem, quam qui ante eum scripserunt, in temporibus exquirendis fuisse.

commemoravisse videtur, quod ille sese a Hermippo[1]) dissentire exponeret. Atque e versibus ab utroque laudatis, ut supra demonstravi, perspicitur Diodorum ex eodem pendere auctore quo Sosicratem.

Sed ut dicam, quod sentio, neque tamen satis certis argumentis demonstrare possum, a Diodoro fabulas septem Sapientum ex Hermippo haustas esse puto. At Plutarchi in Solonis vita narratio de septem illis et de Croesi cum Solone colloquio, huic opinioni documenta non suppeditat. Duo autem extant Hermippi de Solone libri. Alterum de septem Sapientibus, de legislatoribus alterum. Hoc ergo Plutarchus, Diodorus illud asciscere potuit. Nimirum Hermippus in utroque aliter fabulas explicavit aut certe potuit explicare.

Res utut se habet, hoc perspicuum fore spero, a Diodoro librum nonum duobus e fontibus haustum esse. Horum alter Ephorus, alter auctor Alexandrinus, qui a Sosicrate allatus et nonnullis locis confutatus est, videtur fuisse.

Pars altera.

Cur Solon Salaminius appellatus sit.

Diodori (IX, 1) e testimonio Solon fuit *πατρὸς μὲν Ἐξηκεστίδου ἐκ Σαλαμῖνος τῆς Ἀττικῆς*. Idem refert Laërtius Diogenes (I, 45 cf. I, 49): *τῆς πατρίδος αὐτοῦ Σαλαμῖνος ἀμφισβητουμένης;* hac ex opinione epigramma, quod statuae Solonis inscriptum esse dicebatur, manavit (cf. I, 62). Plutarchus autem hoc utrum consulto an negligenter omiserit, pro certo dici non potest, cf. infra p. 40 ann. 3. Quaeritur, quo iure Solon Salaminus appellatus sit.

---

1) Apparet e Diogene (I, 101) Sosicratem Hermippi de Anacharside narrationem ad certum annum revocavisse.

Neque defuerunt,[1]) qui testibus allatis Solonem in insula natum esse contenderent. Athenienses autem temporibus illis, quibus Solon natus est, gubernacula insulae iam tenuisse veriabsimillimum est. Neque enim satis constat, num Eleusis tum in eorum potestate fuerit.[2]) Alii[3]) porro inepte opinati sunt, Solonis de Salamine meritis factum esse, ut patria eius Salamis putaretur. Ille quidem non Salaminiis profuit, sed Atheniensibus.[4]) At eodem sensu, quo Romani ducibus optime de patria meritis cognomen Creticus Germanicus dabant, Solon ab Atheniensibus Salaminius appellatus est. Huius autem usus vestigia apud Graecos frustra quaeres. Neque audiendus est H. Flach (l. l. p. I ann. 1), qui hanc opinionem ex epigrammate quodam (v. Anthol. Pal. VII, 86 v. I p. 331 ed Jacobs) fluxisse contendit. Potuit autem epigramma e significatione factum esse.

Iam vero huic quaestioni lucem offundet Plutarchi locus (c. 9) *εἶτα παρὰ τῶν Ἀθηναίων ἐθελοντὰς λαβεῖν πεντακοσίους δόγματος γενομένου τούτους, ἂν κατάσχωσι τὴν νῆσον, κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος.* Hoc e testimonio rectissime Niebuhr[5]) collegit, Salamina nunquam demum

1) Primum honoris causa affero Meursium (de Solone sive de vita et c. l. III ap. P. Gronov. Thesaur. Ant. Gr. vol. V p. 2003 Venetiis 1732), Connop Thirwall (Gesch. Griechenlands, übers. von Schmitz II. v. p. 25), Bergk (Gr. Litteraturgesch., ed. Hinrichs II, 264), Petersen (de hist. gent. Att., diss. Schleswig 1881, p. 101).

2) cf. U. v. Wilamowitz-Moellendorf, Aus Kydathen Philolog. Untersuchungen v. I p. 124. 125.

3) Bohren, Beiträge zu Solons Leben. Philologus vol. 30 p. 177 inepte ex illis locis, quibus Solon Atheniensis appelatus est, aliquid evincere conatus est.

4) Nicolaus Bach, Carminum Solonis quae supersunt. Bonnae 1825, p. 1 ann. 1.

5) l. l. I, p. 344. Es findet sich eine Erwähnung, dass auf Salamis eine attische Colonie von 500 Attikern angesiedelt wurde, die *τὸ κράτος τῆς νήσου* hatten. Also war Salamis seit Solon mehr ein von Athen abhängiger Staat, als ein integrirender Theil Attika's. Wahr-

Atheniensium fuisse. Hoc Udalricus de Wilamowitz-Moellendorf[1]) novis argumentis allatis stabilivit ac Meinhold[2]) etiam confirmavit. Hodie ergo dubitare nemo potest, quin Salamis Atheniensium demus non fuerit. Quaeritur autem, quid *οἱ κύριοι τοῦ πολιτεύματος* apud Plutarchum significent. Unum extat Asclepiadis testimonium, Pindari temporibus agripetas Atheniensium in insula Salamine fuisse. Hoc autem minoris momenti esse puto, quod Asclepiadem ad locum Pindari (Nem. II, 20) satis obscurum interpretandum modo coniectura usum esse verisimillimum est. Nam iam Alexandrinorum doctissimi viri, quo modo Solon insulam subactam constituisset, videntur nescivisse. Hoc satis lucide apparet e variis interpretationibus loci Pindarei[3]) (Nem. II, 20): *Οὐ μὰν ἁ Σαλαμίς γε θρέψαι φῶτα μαχατάν.* Unus Asclepiades

---

scheinlich hat es immerfort in einem anderen Verhältnis gestanden, als der eigentliche Demos, obwohl nachher das volle Bürgerrecht die Salaminier erhalten haben.

1) Hermes XII, p. 342 sq. Thukydideslegende.

2) Meinhold de rebus Salaminiis diss. Königsberg 1879, p. 20—22.

3) Aristarchus perspicuo errore ductus de tribu *(φυλὴ Αἰαντίς)* cogitavit. Didymus opinatus est, *ὅτι εἰς Αἴαντα ἀνέφερε τὸ γένος ὥσπερ καὶ Μιλτιάδης καὶ Κίμων καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς ὁ Ὀλόρου.* Quod ille nescio an dixerit, cum haud ignoraret, praeter Eurysacidas et Philaidas fuisse gentes, quae Aiacem coluerunt gentis auctorem. Neque enim possum mihi persuadere, a Didymo neglectum esse, quod post perpaucos versus aperte scriptum videmus, e gente Timodemidarum fuisse Timonoum. Hoc fieri potuisse ex inscriptione apparet, quam Koehler (Mitteilungen des archaeol. Instit. zu Athen vol. IV, p. 265: Salaminier auf Inschriften) publici iuris fecit. *Τὸ γένος τῶν Σαλαμινίων,* ut recte Koehler vidit, aut gentes illas notissimas aut complures, quas nescimus, continet (l. l. p. 266). E Didymo Plutarchus, quae de ortu et genere Solonis (c. 1) protulit, hausit. Ac nescio an hac de causa nihil de cognomine Salaminii apud hunc extet. Ceterum Timonous, etsi demus eius commemoratur, tamen agripeta esse potuit. cf. Foucart, les colonies Athéniennes au 5 et 4 siècle (Mém. prés. par. div. sav. à l'Ac. d. J. & B. L. I série 1, IX, p. 349, 350). Hoc autem, ni fallor, U. de Wilamowitz-Moellendorf hunc locum interpretatus (Hermes XII l. l. p. 342) neglexit.

perspexit, fieri potuisse ut Timodemus, Timonoi filius, e gente Timodemidarum e demo Ἀχαρνεῖς ut agripeta Salamine nasceretur et educaretur (ὅτι εἰκός ἐστιν αὐτὸν εἶναι τῶν τὴν Σαλαμῖνα κατακληρουχησάντων Ἀθηναίων). Sed tamen, quamquam disertum testimonium desideratur, nihil, est quod dubitemus quin οἱ κύριοι τοῦ πολιτεύματος, quos Plutarchus l. l. commemorat, κληροῦχοι fuerint.[1]) Nam cum nescimus civitatem ab Atheniensibus subactam aliter constitutam esse atque aut demum aut cleruchiam, tum narratio de Solonis ossibus[2]) per Sala-

1) cf. G. Grote, deutsche Uebersetz. 2 ed. II p. 72 ann. 5. K. Fr. Herrmann, Lehrbuch d. gr. Staatsaltertüm. I[5] § 117 ann. 4; Wilamowitz-Moellendorf, Hermes XII, p. 342 ann. 26, qui cum P. Meinhold l. l. p. 21 nimis confidenter Asclepiadis testimonio usus est. Meinhold etiam in interpretando scholio quodam ad. Demosth. or. c. Aristocr. nuper invento (Buelletin de corresp. hellén. 1877) erravit. Secundum Scholiastam ei, qui Myrrhinam Pisistrati filiam interfecerunt, iussi sunt, Salamine in insula habitare, διὰ τὸ μὴ ἐξεῖναι τῆς Ἀττικῆς ἐπιβαίνειν τὸν ὅλως φονεύσαντα. Perperam autem Meinhold ex hoc loco collegit (p. 22), Salamina tum non partem Atticae fuisse. Potuit enim verbis ἡ Ἀττική modo ἡ ἐν ἠπείρῳ significari.

2) Plut. Solon c. 32 et Laërt. Diogenem I, 62. Ab his dissidet Aelianus v. h. I, 16: ἔθαψαν αὐτὸν (scil. Solonem) δημοσίᾳ παρὰ ταῖς πύλαις πρὸς τῷ τείχει ἐν δεξιᾷ ἐσιόντων καὶ περιῳκοδόμησαν αὐτῷ τὸν τάφον. Quod si fidem facit U. de Wilamowitz-Moellendorf Antigonos v. Karystos in Philolog. Untersuchungen, Heft 4, Berlin 1881, p. 343, etiam sepulcra eorum ab Atheniensibus exstructa sunt (τάφον οἰκοδομεῖν), quorum ossa Athenis sepulta non erant. Ex hoc sepulcro Aeliani auctor nescio an Solonem ibi sepultum esse collegerit. — Th. Bergk, Comment. de reliqu. comoed. att. ant. libri duo p. 240 inventorem Cratinum putari vult. Poetam significasse, a Solone vel mortuo insulam omni cura comprehendi. Atque Henr. Begemann sp. I l. l. p. 25 ex hac narratione quam Plutarchus c. 31 protulit, collegit, ab auctore, quem secutus sit Plutarchus, id est ab Hermippo traditum esse, Solonem non Athenis mortuum esse. A Plutarcho autem sive alterum secutus auctorem, sive quod ad finem festinasset, unam narrationem commemoratam, alteram omissam esse. Iam primum a Diogene historiam illam quidem de Solonis in Cypro morte non ex Hermippo sed e Sosicrate depromptam esse supra p. 37 evincere conatus sum. Quod porro

mina sparsis significat, illum ἀρχηγέτην coloniae a se conditae fuisse. Hanc autem rem viri docti fictam esse iniuria autumant. Hic enim ille erat usus, e quo Graeci conditoris ossa, ne qua temeritas hominum posteriorum aetatum rapere posset, quacunque ratione recondere volebant. Hoc autem A. Lobeck[1]) claris exemplis illustravit. Hoc idem Aristoteles, quem Cratinum solum secutum esse mihi persuasum non est, perspexit. Haec ratiocinatio si vera est, apparet, Solonem ut ἀρχηγέτην insulae minus accurate Salaminium appellatum esse. Constat autem significationem[2]) colonorum cum apud oratores quarti saeculi, tum in edictis Atheniensium fluctuasse. Idem[3]) igitur modo Salaminius modo ὁ ἐκ Σαλαμῖνος modo ὁ Ἀθηναῖος ὁ τὴν Σαλαμῖνα κατοικῶν modo ὁ Σαλαμίνιος modo aliter appellatus est. Nimirum hae significationes dubitationibus et erroribus obnoxiae sunt.

Begemann autumat, a Lycurgo idem factum esse, ne mortui corpus in patriam reveheretur, hoc nihil ad rem attinet, cum Lycurgus (cf. Plut. Lyc. c. 29), quod Solon non fecit, cives iureiurando adstrinxisset, se leges servaturos esse, donec rediret. Atque Aristocrates (ibid. c. 32) qui primus hanc rem protulisse videtur, fabulam finxit, ni fallor, Soloneae mortis instar. Klueber p. 29 historiam veram esse quamquam perspexit, tamen non demonstravit.

1) Aglaophamus I p. 280, 1029 cum hoc Plutarchi loco contulit Iustin. III, 4, 13, qui Phalantum veteribus Tarentinis persuasisse narrat, ut ossa sua contererent et in foro Tarenti spargerent. Quo facto Apollo urbis perpetuitatem promisit. cf. eundem VII, 2 de Perdicca ac Horatius (II, 6) Tarenti, quod oppidum in deliciis habet, favillam suam spargi iubet.

2) G. Foucart l. l. p. 36, 263, 264; cf. U. de Wilamowitz-Moellendorf, Hermes XII, p. 345; A. Kirchhoff, Abhandl. der Berl. Akademie 1874: Die Tributpflichtigkeit der Kleruchien.

3) Idem dicendum est de Euripide Salaminio (C. J. Gr. 6052 et Eurip. vit. ἐγεννήθη δ' ἐν Σαλαμῖνι de Simonide Amorgino, de Herodoto Thurio. cfr. Plut. de mal. Her. c. 35, p. 967 E. F.

Pars tertia.

De Solonis itineribus.

In Solonis vita cum multa obscure tradita a viris doctis nondum enucleata sint, tum quaestio de eius itineribus permultis etiam difficultatibus impedita est. Quae cum fabulis et ineptissimis et pulcherrimis aut perturbata aut exornata sint, ex his commentis quamvis venustis expediantur necesse est. Hoc munere quamquam R. Schubert[1]) optime functus est, tamen etiam post hunc extiterunt, qui nihil antiquius egerunt quam ut nisi totam fabulam, at certe partem quasi pannum togae pictae servarent. A veteribus autem tria potissimum Solonis itinera tradita sunt. Horum ille primum ante archontatum, alterum post leges conditas, tertium Pisistrato tyranno fecisse dicitur.

Ac primum quidem iter Solon antequam ad rempublicam accessit, et ad mercaturam faciendam et ad scientiam augendam suscepit (Plut. Sol. v. c. 2). Neque possumus ratiocinari, quam diu ille in his versatus sit itineribus. Hoc pro certo haberi potest, ineunte sexto (a. Chr.) saeculo illum Athenis commoratum esse. Hoc enim apparet cum e fragmentis (cfr. 4 Bergk), in quibus tam prudenter ac perite populum a ducibus opprimi exposuit, tum ex auctoritate, qua etiam ante leges conditas videtur floruisse (Plut. Sol. v. c. 14).

Iam alterum iter Plutarchus (v. Solon v. c. 25 sq.) et Herodotus (I, 30) rettulerunt. Atque hoc in itinere Solon in Lydiam et Aegyptum et Cyprum profectus esse dicitur. Unde cum redisset, usque ad mortem Athenis e Plutarchi testimonio moratus est. Hoc autem iter a veteribus fictum esse B. Niese (l. l. p. 9) contendit. Quaeritur, num recte sic ratiocinatus sit.

1) R. Schubert, De Croeso et Solone fabula Koenigsberg 1868 diss.

1. Primum ille tam longum iter magis in aetatem integram quam progredientem quadrare ratiocinatus est. Solon autem post leges factas an antea peregrinatus sit, rei nihil interest. Qui cum anno 560 vel postea mortuus sit anno 584 non potuit ita provectus aetate esse, ut ei peregre abire iam non liceret. Neque vero scimus, quanam ille aetate iter susceperit.

2. Duo porro vir doctissimus itinera, Herodoti narratione cum Solonis carminibus composita, ficta esse putavit. Hoc autem ipsum quaeritur, utrum alterum iter fictum an recte traditum sit.

3. At fragmenta Solonis nihil de altero itinere exhibent. Sed e quinque milibus versuum, quibus Solonis carmina secundum Diogenem continebantur, ne trecenti quidem aetatem tulerunt. Quantum igitur e fragmentorum silentio evincitur?

4. Ac ne consuetudine quidem, quae secundum Plutarchum (c. 26) Soloni cum Philocypro intercessit, de Niesei sententia cogimur, ut iter post leges scriptas a Solone factum esse statuamus. Id quidem veridissimillimum esse vir doctus perspexit, Philocyprum, cuius filius secundum Herodotum (V, 113) in pugna ad Salamina facta interfectus est, iam annis 594—584 quibus Solon iter fecisse dicitur, regnasse. Neque tamen licet ratiocinari Herodotum et Plutarchum de Philocypro in erroribus versatos esse. Apparet enim ab utroque carmen illud ad regem missum lectum ac cognitum esse. Versus autem, qui apud Plutarchum (Sol. c. 26) extant, carminis extremi fuisse videantur. Et solent veteres poetae in versibus ipsis laudare nomen eius, ad quem carmen mittunt.

5. Neque vero B. Niese debebat tam gravibus testibus praeferre auctorem nescio quem (vit. Arati), qui in transcursu regi illi, nomen „Cypranor“ fuisse, rettulit. Apparet enim e toto sententiae conexu ab illo nomen e memoria allatum esse,

ut doctrinae, qua imbutus erat, luculentum documentum in medium proferret.

Neque magis, quam B. Niesei argumenta[1]), arridet Engeli[2]) ratiocinatio. Hic ut testium discrepantiam componeret, in altero itinere Solonem cum Cypranore, in altero, quod Pisistrato tyranno suscepit, cum Philocypro convenisse contendit. Neque enim vir doctus hoc modo ad veterum testimonia se accommodavit, cum de illo eidem afferantur versus, ac de hoc, et tertium iter accivit, quod nunquam factum esse a Solone mihi persuasum est.

Age nunc testes ipsos inspiciamus. Solon legibus conditis *θεωρίαν* praetendens, ut ait Herodotus, peregre abiit et per decem annos peregrinatus est, ne leges, quas scripserat, dissolvere cogeretur. Neque enim Athenienses ipsi hoc facere potuerunt, cum iurisiurandi religione adstricti essent, se Solonis leges per hoc annorum spatium servaturos esse. Sed Plutarcho (l. l. c. 25) teste Solon leges in centum annos ratas esse iussit. Hoc intervallo si quis aliquid contra leges faceret, ab eo statuam auream Delphos consecrari ius foret. Leges autem, cum alii laudarent, alii vituperarent, Solon *ναυκληρίας* obtentu, ut civium voluntates fugeret, in decem annos peregre abiit. Plutarchus autem vel eius auctor, cum hoc iter decennale exponeret, Herodoti vestigia pressit. Nam causa parum apparet, cur Solon iter decem annorum facere voluerit et fecerit, cum Athenienses se in centum annos leges servaturos esse iuravissent. Atque quod redux factus *ἐν δὲ κοινῷ λέγειν καὶ πράσσειν ὁμοίως οὐκ ἔτ' ἦν δυνατὸς οὐδὲ πρόθυμος ὑπὸ γήρως* secundum Plutarchum (c. 29) fuit, ab hoc annorum numero discrepat.

---

1) R. Schubert l. l. p. 8 recte dixit, Solonem cum mercaturae faciendae causa iter fecisset, eodem loco non potuisse per complures annos morari. H. Flach l. l. p. 371 anm. 5 perspexit, hospitium regis non quadrare in hominem negotii gerentem.

2) Cypern I, p. 255.

Nam si Solon reapse ex itinere aetate longius provectus redisset, qui fieri potuit, ut post viginti demum annos mortem obiret. Hoc autem fortasse e carminibus colligi potuit, cum iter decennale per tot rivulos de Herodoti narratione depromptum esset.

Huc accedit, quod Solonem cum Philocypro, rege Soliorum multo post annum 584 convenisse verisimillimum est. Etenim ex Herodoti testimonio Aristocyprus, filius Philocypri, a. 498 in proelio ad Salamina facto interfectus est. Itaque Philocyprum non ita multis annis ante a. 470 in regnum escendisse consentaneum est,[1]) nisi forte filium exacta aetate cecidisse vel Philocyprum, admodum iuvenem, regnasse statuas, quod utrumque non nimis verisimile est. Hoc autem unum e tot fabularum congerie factum est, quod examinare possumus. Nam quae apud Herodotum et Plutarchum de colloquio cum Croeso et Amaside extant, hae, ut R. Schubert demonstravit, merae fabulae sunt.

Iam veridissimillimum est, a Solone iter decennale iam anno 593 susceptum esse. Ponamus rem publicam Atheniensium, tot tantisque malis laborantem, per biennium a Solone constitutam esse. Nonne ei cavendum erat, ne leges mala interpretatione ad irritum caderent. Bellum porro quod vocant sacrum ante annum 590[2]) confectum non

---

1) H. Flach l. l. p. 373 ann. 1.

2) Quamquam caute hunc annum posui, non possum non affirmare, Nieseum (l. l. p. 16 et p. 20) mihi non persuasisse, hoc bellum non per decem annos gestum esse. Nam numerus rotundus decem annorum nihil offensionis habet, cum permulta bella miro annorum spatio contineri haud ignoremus, velut prima belli Peloponnesiaci pars ac bellum Messeniacum tertium δεκαετῆ fuerunt. Quodsi quis annales inspexerit, haud raro bella decem, septem, triginta annorum gesta esse apparebit. Ac constat, obsessiones urbium antiquissimis temporibus satis diuturnas et difficiles fuisse. Nullius porro momenti est, quod Thucydides (I, 15) huius belli mentionem non fecit, quandoquidem permulta silentio praetermisit, quae ad historiam vetustioris aetatis cognoscendam pertinent; velut ille Solonem, ut Nieseus ipse

esse constat. Quid! Solon, huius belli auctor, Athenis cessit, priusquam pacem conciliavisset. Neque usquam mihi persuadebo, Solonem et tam insipientem fuisse, ut Athenienses per decem annos legibus assueturos esse statueret, et tam socordem, ut peregre abiret nulla ratione belli, quod ipse permoverat, habita. Itaque non potest non dubitari, quin et Herodotus et Plutarchus de itinere decennali in erroribus versarentur. Experiamur autem, num ratiocinationibus aliquid profecturi simus.

Constat inter omnes a patre historiae spatium triginta annorum, quod inter Solonis archontatum et Pisistrati tyrannidem intercessit, neglectum esse. Hoc confirmatur fabulis[1]) de Croesi cum Pittaco et Solone consuetudine, hoc idem evincitur e narratione de Agaristae nuptiis, hoc apparet e historia de pugna Pisistrato duce ad Sigeum facta, quam a Periandro tyranno compositam esse Herodotus ait. Hoc eodem spectat, quod Herodotus[2]) dixit, cum *ἄγος Κυλώνειον* exponeret (V, 71): *ταῦτα πρὸ τῆς Πεισιστράτου ἡλικίας ἐγένετο.*[2]) Herodotus igitur intervallum, quod inter Solonem et Pisistratum intercessit, plane nescivit.

Neque tamen oportet Herodoti disertum testimonium cum R. Schubert tollere. I, 39: *ὁρκίοισι γὰρ μεγάλοισι κατείχοντο, δέκα ἔτεα χρήσεσθαι νόμοισι, τοὺς ἄν σφι Σόλων θῆται.* Immo hoc ex optimo fonte haustum esse mihi videtur. Nam causa minus apparet, cur Herodotus fabulae causa, quam protulit, iusiurandum in decem annos ratum finxerit. Sed R. Schubert persuadere sibi non potest, Athenienses tam insipientes fuisse, ut leges, quas nondum cog-

---

urgnet, omnino non commemoravit. Nihil igitur est, quod Callistheni (Athenaeus XIII 560 b. c.) affirmanti bellum Crissaicum per decem annorum spatium gestum esse fidem derogemus.

1) Her. I, 30. cf. VI, 125 cum H. Stein annot. cf. V, 95. cf. G. Grote, Gesch. Griech. II, deutsche Uebers. p. 31 ann. 5.

2) B. Niese, p. 1 ann. 1.

noverant, servaturos se esse iurarent. Nimirum autem Athenienses, cum Solonem reipublicae constituendae causa crearent, hoc ei concederent necesse fuit. Ac me iudice prorsus idem valet, hoc diserto iureiurando confirmare atque omnino αἰσυμνήτην creare.[1] Nihil igitur est, quod dubitemus quin Athenienses leges, quas Solon scripturus esset, se servaturos esse iuraverint. Quid autem decem anni sibi volunt? Solon, ut dicam, quod sentio, cum in hoc annorum spatium διαλλακτὴς καὶ νομοθέτης factus esset, Athenienses iurisiurandi religione astrinxit, omnia, quae per hos decem annos facturus esset, rata fore. Herodotus autem sive ratus Solonem modo archontem unius anni fuisse sive falsa, qua imbutus erat, opinione ductus, illum non ita multo ante Pisistrati tyrannidem Atheniensibus praefuisse, perperam spatium illud decem annorum ad itinera spectare opinatus est. Neque tamen satis apparet, num alii Herodoti errorem perspexerint. Sed quod Suidas (v. Solon) rettulit, Herodotum in olympiade μζ' floruisse, in annos 595, 94, 93 solos certe non quadrat. Est autem olympias 47 (592—89) media inter ol. 46 (596—93) et 48 (88—85). Ac Sosicrate auctore (Laërt. Diog. I, 101) Solon in olympiade 47 Athenis moratus est. Quod vero Demosthenes (de fals leg. § 72) dixit, inter Solonis aetatem et annum, quo orationem de falsa legatione habuit (343), 250 annos intercessisse, quamquam plane congruit cum opinione a me prolata, tamen dubito, num ille contra oratorum consuetudinem numeros satis diligenter exquisiverit.[2] Quo modo Aristoteles de spatio

1) Theod. Mommsen, Roem. Staatsrecht, p. 701 et 703 annot.

2) Recte Max Duusker VI, 156 ann. 1 annotavit, cogitari non posse, a Solone tam multa per unum annum constituta esse. Neque autem certum est num haec omnia, quae vir doctissimus illi substituit, a Solone facta sint. Huc illud spectat, quod idem p. 238 annot. 2 de praemiis, quae victoribus ludorum (cf. Plut. Sol. 15 et Laert. Diog. I, 55) a Solone addicta esse narrantur, disseruit. Ernst Curtius (Gr.

Solonis dictaturae iudicaverit, incertum est. Neque enim ex eo, quod Pseudoheraclides (I, 5 Fr. H. Gr. ed. C. Müller vol. II) de Solonis itineribus post leges factas rettulit, quidquam evincitur. Ac ne legibus quidem certo anno adscribendis quidquam efficitur cum incertum sit, utrum reapse a Solone conditae an falso, quod factum esse constat, ei addictae sint.

Quodsi haec recte ratiocinatus sum, veterum testimonia, quae extant, ad *αἰσυμνητείαν* decem annorum se optime accommodant. Apparet hanc causam fuisse[1]), cur Solon

---

Gesch. I 4. ed. Berlin 1874, p. 330) non dubitavit quin res publica a Solone per biennium constituta esset neque ille statim post leges conditas peregre abiret. H. Flach, argumentis non allatis a Solone per decem annos leges scriptas esse recte statuit (cf. l. l. p. 370).

1) L. Dindorf fragmentum ex Ulpiano (ad Demosth. c. Timocratem, p. 243 B) depromptum ante narrationem de Solonis exitu posuit. Hoc autem sic exaratum videmus. *Ἰστέον, ὅτι ὁ μὲν Σόλων ἐγένετο ἐπὶ τῶν χρόνων τῶν τυράννων ἐν ταῖς Ἀθήναις πρὸ τῶν Περσικῶν χρόνων· ὁ δὲ Δράκων πρὸ αὐτοῦ ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα ἔτεσι, ὥς φησι ὁ Διόδωρος.* Hunc in locum fragmentum non quadrat. Nam consentaneum est a Diodoro iam antea Solonis et Dracontis aetatem expositam esse. Neque vero de Solone in hoc fragmento agitur. Nam quod Klueberus statuit (l. l. p. 34 sq.), a Diodoro alium annum Solonis archontatus computatum esse, atque a reliquis, hoc non nimis verisimile est, quandoquidem post Demetrium Phalereum de hoc anno in erroribus versari nemo potuit. Ac Diodorum chronicon nescio quid inspexisse satis constat. Tamen idem, ut Vollquardsen l. l. p. 23 demontravit, saepius annotationes chronologicas de auctoribus deprompsit, qui in exquirendis temporibus non ita diligentes erant. Huc illud spectat, quod Diodorus de Solonis aetate tam obscure disseruit. Apparet autem illum certum Dracontis annum respexisse. Hunc alii a. 624, alii a 621 leges scripsisse opinati sunt. Sed quemcunque annum aut Dracontis aut Solonis ponis, sive *ἀκμὴν* sive *τελευτὴν* respicis, numeri scripturae traditae neque in hoc, neque in illud quadrant. Nescio igitur an pro *ζ κ. μ* satis levi commutatione *ξ (ἑξήκοντα)* legendum sit. Incertum autem est, utrum *μ*, cum *ξ* in *ζ* corruptum esset, additum an e littera *γ* mutatum sit. Quodsi ita *(ἑξήκοντα)* legis, incolumem annum Dracontis (421) restituis, cum ad veterum chronologorum rationem te accommodes. Haec illa erat ratio, qua, si cuius aetatem nesciebant, ad illius referebant, quocum consuetudinem ei fuisse constabat. cf. H.

bello sacro gerendo dux non factus esset. Ac si per decem annos ille rempublicam constituerat, eo maiori admirationi amicis fuisse consentaneum est, quod post hoc spatium imperium deposuit neque tyrannidem occupavit. Iam si quid video, e carminum fragmentis apparet fuisse tempus, quo Solon Atheniensium rempublicam revera a se constitutam esse arbitratus est. Hoc autem fieri non potuit, si statim post leges factas (593) peregrinatus esset. Quid vero mirum, quod ille republica aucta et stabilita peregre abiit? Plutarchus denique recte alterum iusiurandum videtur rettulisse. Neque enim Athenienses post decem illos annos religione astricti erant, ut leges servarent. Itaque Solon altero iureiurando efflagitato sanxit, ut leges in centum annos ratae essent. Res utcunque se habet, pro certo dici potest, Solonem ex itinere non ita multo ante Pisistrati tyrannidem primam rediisse. Hoc enim non minus apparet ex auctorum silentio de rebus, quas ille post leges conditas usque ad Pisistrati tyrannidem gesserat, quam e diserto Plutarchi testimonio supra allato, quod ille redux factus aetate admodum provectus fuit.

Venio ad tertium iter. Videmus autem hoc traditum apud Diogenem (I 50 sq.) et Suidam (v. Solon). Uterque autem ad hoc iter rettulit, quae Plutarchus de altero post leges conditas suscepto tradidit. Neque defuerunt, qui, cum Solonem Pisistrato tyranno Athenis cessisse viderent, inepte concluderent, illum ab hoc in exilium missum esse. Velut Valerius Maximus (V, 3 de ingr.) Solonem e patria profugum in insula Cypro diem supremum obisse rettulit. Ac Dio Chrysostomus (or. 37 § 6) narravit, Solonem ad

---

Diels, Chronolog. Untersuch. über Apollodor Rh. Mus. v. 31, p. 13, 14, 15. Hoc autem loco Diodoro, cum annum 421 e tabulis chronologicis hauriret, ut intervallum inter Solonem et Dracontem significaret, Solonem a. circiter 461 fuisse sive quod annum memoriter attulit sive auctorem nescio quem (Ephorum ?) secutus, statuit.

Periandrum confugisse, ut Pisistrati crudelitatem effugeret. Neque autem temporum rationem habuit, et id egit, ut cum orationem apud Corinthios haberet, Periandrum summis laudibus efferret.

Sed cum hac quaestione altera artissime coniungitur de mortis anno.[1]) Etenim Solon ex Heraclidis Pontici testimonio (Plut. Sol. c. 32) multo (*συχνὸν χρόνον*) postquam Pisistratus primum tyrannidem adeptus est, mortuus est. Contra Phanias Eresius illum altero anno eius tyrannidis mortem occubuisse tradidit. Neque possumus dubitare, utrum auctorum sequamur.

Iam primum Phaniae narrationem Aelianus (v.h.VIII, 16) confirmat. Hoc auctore Solon *ὀλίγον ὕστερον* postquam Pisistratus rerum potitus est, mortuus est.

Phanias porro e fastis ipsis videtur hausisse, cum archontum nomina (Comias, Hegestratus) afferret. Heraclidem Ponticum autem *μυθώδην καὶ πλασματίαν* fuisse iam veteres perspexerunt (cf. Plut. vita Camilli c. 22).

Accedit, quod Heraclides, ut R. Schubert l. l. p. 13 detexit, primus Solonis mortem multo post Pisistrati dominationem primam constituit, ut servato temporum ordine de consuetudine Croesi cum Solone cogitare liceret.[2])

Hoc probato consequens est, fuisse ante Alexandrinorum aetatem, qui Herodoti de Solonis aetate errores dete-

1) Quod Pseudo-Lucianus Longaevi c. 4 de centum Solonis annis rettulit, aperte fictum est. cf. H. Diels, Rh. Mus. vol. 31, p. 17. Neque possum adstipulari H. Flachio, p. 375 ann. 2 hoc ex Heraclidis Pontici testimonio fluxisse. E. Rohde (*Γέγονε* in den Biographica des Suidas Rh. Mus. vol. 33, p. 183) recte opinatus est, Suidam vel Hesychium, ut fit, *ἀκμήν* et *τελευτήν* perturbavisse, cum Solonis *ἀκμήν* in olympiad. *νϛ* a nonnullis constitui traderet.

2) Laërtius Diogenes (I, § 52), ut supra dixi, Solonem Pisistrato tyranno Athenis cesisse et cum Croeso congressum esse rettulit. Qua in re Heraclidem Ponticum videtur accivisse, quod Pisistratum Solonis affinem significavit. Affinitatis enim auctorem Heraclidem Ponticum fuisse e Plutarcho (Sol. c. 1) apparet.

gerent. Iam vero Isocrates (or. XII § 148) Solonem Pisistrati aequalem fuisse statuit: *μέχρι τῆς Σόλωνος μὲν ἡλικίας, Πεισιστράτου δὲ δυναστείας*. Primus autem et Solonem et septem illos Alyatte rege floruisse Demetrius Plalereus *ἐν ἀναγραφαῖς ἀρχόντων* videtur aperuisse. Extat autem locus apud Laërtium Diogenem (I, 22): *Καὶ πρῶτος* (Thales) *σοφὸς ὠνομάσθη ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, καθ' ὃν καὶ οἱ ἑπτὰ σοφοὶ ἐκλήθησαν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ.*

Hunc annum, quo Damasias archon factus erat, 585 a. Chr. n. fuisse verisimillimum est. Hic autem extremus Solonis dictaturae fuit.[1]) Ac num Demetrius hanc ob rem hoc anno septem illos congressos esse statuerit, in dubiis ponendum est. Septem illorum aetate ad temporum rationem revocato, aut de Solonis cum Croeso colloquio dubitarent, aut tertium iter fingerent necesse fuit.

Atque magni momenti est narratio de ossibus per Salamina sparsis (v. supra p. 41). Quae si vera est, apertissime indicat, Solonem Athenis mortuum esse. Hanc in sententiam Aristoteles, qui huius rei gravissimus extat auctor, videtur cessisse.

Ecce rationes, quibus commoveor, ut tertium iter statuam fictum esse. Ac miror, quod M. Buedinger,[2]) ut fabulam speciosam servaret, et cum Heraclide fecit et Phaniae errorem substituit, quem vereor ne nulli persuadeat. Nam cum Phanias archontes ipsos afferret, non potest, ut

---

1) E. Rohde, Rh. Museum v. 33, p. 202 detexit, *ἀκμὴν* septem Sapientum ut apud Demetrium, ita apud Eusebium, tricesimum tertium annum regni Alyattis respicere. Ob id certius diiudicare non audeo num mero casu idem annus 585 extremus Solonis dictaturae aut itinerum fuerit.

2) Monatsber. der Wiener Akademie, philos. histor. Klasse v. 92 Wien 1879, p. 221. Cfr. quae Philippi, Rh. Museum vol. 36 p. 472 contra Buedingeri ratiocinationes protulit.

Buedingero visum est, pro complurium annorum serie (Epoche) singulos annos posuisse. Neque quae M. Duncker (VI p. 455 sq.) de Solonis exitu ratiocinatus est, ad res traditas accedunt. Atque ut dicam, quod sentio, post R. Schubert nemo nisi opinione praeiudicata deceptus est, debet fabulas quamvis venustas respicere in exquirendis Solonis temporibus.

Theses.

1. Herodotus (I, 59 sq.), cum Croesi exitum narraret, historiam de Pisistrato inserendo significare noluit tertiam eius tyrannidem eisdem temporibus, quibus Sardes captae sunt, constitisse, sed narrationem de eius dominatione ad finem perduxit.

2. Opusculum, quod inscribitur, de malignitate Herodoti, non ita insulsum illud quidem et inficetum, ut nonnulli autumant, genuinum Plutarchi est.

3. Ex verbis Plutarchi (de mal. Her. c. 21, 2) *περὶ ὧν ἐν ἄλλοις ἀκριβέστερον γέγραπται* nullo pacto consequitur auctorem libelli iam antea libris conscribendis operam dedisse.

4. Pompeius Trogus (Iustin. 43, 3, 9), cum narrationem de Massilia condita de auctore nescio quo Graeco depromeret, nomen filiae regis Segobrionum Gyptis modo litteras Graecas male intellegens pro nomine, quod Aristoteles (Athenaeus XIII p. 576) exhibet, Petta posuit.

5. Praeceptori pueros historiam docenti semper aurea verba Goethei observanda sunt: Das Beste, was wir von der Geschichte haben, ist der Enthusiasmus, den sie erregt.

V I T A.

Natus sum Paulus Stettiner Regimonti a. d. VII. Cal. Septembr. a. 1862 patre Mauritzio, praematura morte ante biennium fere erepto, matre Charlotte e gente Schwarzschild, quam adhuc superstitem esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis domi imbutus mox in gymnasium, quod dicitur, Palaeopolitanum, quod tum regebatur a Rudolfo Moeller, receptus sum. Post decem annos auctumno a. 1880 testimonium maturitatis adeptus civibus Albertinae legitime adscriptus sum, ut per biennium interessem scholis virorum doctissimorum Baumgart, Friedlaender, Hirschfeld, Ludwich, Prutz, Ruehl, Schade, Zoeppritz †. Inde Tuebingas me contuli, ubi per bis sex menses me docuerunt, v. v. dd. Flach, de Gutschmid, Herzog, Kugler, de Pflugk-Hartung, Rohde, de Roth, de Schwabe, de Sigwart. Reliquum tempus Berolini degi. Ibi audivi viros illustrissimos Diels, Dilthey, Kirchhoff, Robert, Schmid, Vahlen. Regimonti seminario historico, cui Prutz et Ruehl praefuerunt et exercitationibus archaeologicis, quas G. Hirschfeld regebat, admissus sum. Tuebingis exercitationibus interfui historicis Alfredi de Gutschmid et Kugleri, Berolini epigraphicis Kirchhoffii.

His omnibus viris optime de me meritis gratiam debitam habeo semperque habebo; imprimis autem gratias ago quam maximas viris et doctissimis et humanissimis Hermanno Diels, Alfredo de Gutschmid, Francisco Ruehl; quibus quantum debeam, vix dicere possum.